PROSPERI ALPINI
DE PLANTIS ÆGYPTI
LIBER.

Cum Obſervationibus & Notis

IOANNIS VESLINGII

EQVITIS

In Patavino Gymnaſio Anatomiæ & Pharmaciȩ Profeſſoris Primarij.

Acceſſit ALPINI de Balſamo LIBER.

Editio altera emendatior.



PATAVII, MDCXL.

Typis Pauli Frambotti Bipliopolæ. *Sup. Permiſſu.*

INCLITÆ NATIONI GERMANÆ

Theologorum, Philosophorum, ac Medicorum in Lyceo Patauino.

S. P.

QVOD boni viri semper habitum fuit, pluribus prodeſſe, ſi me pro viribus conatum fatear, nihil vel à meo munere, vel à modeſtia alienum fecero. Qvum enim curæ in primis mihi eſſet, ut quam adieram ſtudio Spartam, ſi non locupletaſſem, aliquâ ſaltem ratione exornarem: meum de re literaria benè merendi ſtudium non minus probatum iri cenſui, ſi eorum monumenta in lucem reuocarem, qui eruditorum conſenſu poſteritatis famâ digni, quàm qui recens aliquam ſibi laudis opinionem pepererunt. Vtrumq; dum adnitor, operâ ſanè mihi digna ſunt viſa, quorum utilitatem etiam commendaret amœnitas. Inſtituto meo Icones ſtirpium diuitis Ægypti commodè obtigerunt, quarum Hiſtoriam Proſper Alpinus ingens ſui ordinis noſtriq; Gymnaſii ornamentum olim in publicum dederat. Quo ingenio teſtatur ſatis Libri genius, qui

eā aviditate exceptus, ut plurimis nunc annis ab eruditis, maximeq́ quos à nobis diviserunt Alpes, quovis pretio expetitus fuerit. Horum itaq́ commodis ac voluntati ut porrò satisfieret, desideratum diu Clarissimi viri opus longè quam antea emendatius, novisq́ celeberrimi Doctoris & civis vestri Ioannis Veslingii observationibus auctius profero. Quod verò inter ceteras potissimùm Inclitæ Nationis Germanæ nomen præscripserim, summū ita suasit ejus in Auctorem studium, quod nî fallor earundem literarum similitudo conciliavit. Quis enim orbis angulus ita remotus, quem gens illa magnis cæptis nata non perlustrat? cui uberrimus improbi laboris fructus, quòd juxta divinam humanamq́ Sapientiam rei Medicæ, maximeq́ Herbariæ spatia cumulatissimè ampliaverit. Vos igitur, Generosa pectora, quorum laudatissima indoles majorum exemplis lætè succrescit, certum hoc mei in vestram virtutem obsequii & affectus argumentum habete. Deus nobilem consessum vestrum in Patriæ & Athenæi nostri decus perennem conservet. Patavii Cal. Ianuar. clɔ lɔc xxxx.

D.D. V.V.

Devinctissimus

Paulus Frambottus.

IN-

INDEX RERVM.

Abdellaui plantæ atq; fructuum descriptio. 115.
Abdellaui melonis icon. 118.
Abissina Cassia quæ, & eius vsus. 5.
Abrus descriptio. 76.
Abrus seu Phaseoli rubri icon fol. 77.
Abs:s herba. 88.
Acacia quibus in locis proueniat. 9.
Acaciæ arboris descriptio. 10.
Acaciæ arborum differentia. 10.
Acaciæ succus. 10.
Acaciæ icon. 16.
Acaciæ succi vsus apud AEgyptios. 10. & 11.
Acaciæ succi loco, quem succum Itali parent. 11.
Acaciæ maris, te feminæ descriptio. 10.
Acacia quando flores edat. ibid
Acaciam esse arborem fœcundissimam. ibid.
Acacia fert gummam, quam Arabicam medici uocant. 11.
Acacia, quæ species in Zacynthe Insula proueniat. 136.
Acaciæ Zacynthinæ descriptio. 137.
Acetosæ Zacynthinæ descriptio. 136.
Achauoan descriptio. 119.
vsus ad medicinam. ibid.
Achaouan Icon. 120.
Achauoan abiat, seu Artemisiæ albæ descriptio. 88.
Achauoam abiat, Cineraria, Iacobæa marina idem. 88.
Achauoam abiat, vires & vsus. 88.
Achauoam Abiat Icon. 89.
Ad Alui fluxiones acaciæ vsus. 13.
Ad Anum Vterumque foras prolabentem Acaciæ vtilitas. 13.
Ad Articulos roborãdos Acaciæ vsus. 13.
Ad augendam Venerem Electuarium. 130.
Ad Pectoris Pulmonumque morbos semina vrticæ conferre. 130.
Ad cutis infectiones Nigellæ vtilitas. ibid.
Ad mulieres, quæ non purgantur Nigellæ vsus. 129.
Ad cutis infectionem valere semina Vrticæ. ibid.
Ad febres omnesque calidos affectus aqua Anguriarum el Maui vtillis. 115.
Ad Neruos siccatos, & scirohsos tumores sesami vsus. fol. 98.
Ad Podagricos Acaciæ vsus. 13.
Ad Renum calidos morbos Chatè vsus vtilis. 114.
Ad Somnum conciliandum Solani sõniferi vsus. 130.
Ad Vteri fluxum confert Acacia. 13.
Ad Sanguinis sputum confert Acacia. ibid.
Ad Vteri duritiem Mumia. 90.
Ad Vlcera cancerosa Cinerem seminũ vrticæ conferre fol. 130.
AEgyptiarum plantarum vtilitas ad medicinam. 1.
AEgyptos per Cassiarum loca mane odorisgratia ob ambulare. ibid.
AEgyptii Cassiis non utuntur ante quartum mensem. 5.
AEgyptij Cassiæ pulpa ad quos morbos vtantur. 5.
AEgypty Mel Carnub ex siliquis expressum in vsu habere. 8.
AEgyptij quæ cõdiũt melle Carnute. 8.

✠ 3 parent,

parent, & eo ad quæ vtantur. 10.
AEgyptus Acacia excepta aliis arboribus gummas ferentibus caret. 12.
Aiugæ descriptio ex Dioscoride Kellu an conueniat. 125.
Agiahadalid arboris descriptio. 38.
Agialid foliorum vsus. ibid.
Agiahalid an Lycium. ibid.
Agiahalid Icon. 39.
Alexandria AEgypti Cappares producit. 129.
Amaracum syluestrem esse marum Creticum. 142.
Andreas Matthæolus in Acaciæ cognitione deceptus. 11.
Anguriæ aquosæ. 116.
Anguriarum, Elmaoui aquæ facultas, atque vsus. 115.
Anthyllidis speciem Kellu esse. 125.
Angurijs omnes AEgyptij libenter vescuntur. 115.
Apocynum verum nasci in Italia. 133.
Aquæ ex cucumeribus Chatè distillatæ vtilitas. 114.
Aquæ ex Anguriis destillatæ vtilitas. 115.
Aqua Anguriarum quos morbos juvat. ibid.
Aqua Anguriarum Diuretica. ibid.
Aqua Machalef. 61.
Aquæ Calaf facultas, ac vsus. 61.
Arabum vita, atque mores 51. & 52.
Arabiam fœlicem perpetuo fuisse locum proprium Balsami. 50.
Arbor Elhanne Tamarendi est Ligustrum AEgyptium. fol. 44.
Archenda pulvis, quid atq; eius vsus. 46.
Arbor ab AEgyptiis Sant vocata est vera Acacia. 9.
Arbor Palmæ Dachei vocatur. 28.
Arbores Carub in multis Italiæ locis viuere. 8.
Artemisia alba. 88.
Aspalatum in Creta nasci. 143.
Aspalati Cretensis descriptio fol. ibid.
Asperam Smilacem duas radicum differentias habere. 139.
Atle est Tamariscus. 33. & 34.

B

Bahobab fol. 26. atque eius vsus cart. 66.
Bahobab est fructus AEthiopis jucundissimus. ibid.
Bahobab icon. 67.
Bahobab fructus icon. 68.
Balsami plantam Sabam Regina primo Regi Salomoni dono tulisse. 49.
Balsami plantæ, quas AEgyptus aluit vnde venerint. 48.
Balsami plantas multas ex Arabia in AEgypto insertas. 50.
Balsami feracem fuisse Arabiam Fœlicem. 48. 50. & 51.
Balsami plantā nunc in AEgypto non vivere. 48.
Balsami planta perpetuò in Arabia vivit. 49.
Balsami solum proprium AEgyptum vel Iudæam nunquam fuisse. 50.
Balsamum Antiquos rectè novisse, est dubium. ibid.
Balsamum in Arabia nasci, ex Pausania, & Strabone. 51.
Balsami plantas in monte arenoso Arabiæ fœlicis multas miraculo vivere peregrini affirmant. ibid.
Balsamum nasci in Arabia ex Diodoro Siculo atque multis aliis. 51.
Bammiæ descriptio atque vsus. 90.
Bammiæ facultas, & quos morbos curet. ibid.
Bammiæ icon. 91.
Ban seu Calaf descriptio. 61.
Ban vtilitas atque vsus. ibid.
Ban seu Calaf icon. 62.
Ban aliud seu Bon. 63.
Beidelsar descriptio. 85.

Bei-

Beidelsar planta quid. ibid.
Beidelsar vsus. ibid.
Beidelsar planta lacticinosa. ibid.
Beidelsar lactis facultas. ibid.
Beidelsar lactis vsus. ibid.
Beidelsar icon. 86.
Beidelsar fructus, atque icon. 87.
Bellha, Dactyli maturi. 27.
Bon seu Ban descriptio. 63.
Bon icon. 65.
Byssus quid. 70.

C

Caoua quid, eiusq; vsus. fol. 62.
Caoua decoctum menses imminutos iuvare. 63.
Cappares qui in AEgypto proueniunt. 129.
Capparorum vsus qui. ibid.
Carbones, quibus AEgyptus & Arabia utitur, ex Tamarisco parantur. 32.
Carub vel Carnub arboris descriptio. 8.
Carub arbores in multis Italiæ locis viuere. 8.
Cassię arboris descriptio. 3.
Cassiæ arborem nuci esse similem. ibid.
Cassiarum fistulę. 4.
Cassię arbores quo tempore florent. ibi.
Cassia recentes immaturas AEgyptii condiunt. ibid.
Cassię Cayri, Alexandrięque nascentes, quales. ibid.
Cassiæ Pelusii nascentes quales. ibid.
Cassiarum quę cęteris bonitate pręstēt. ibid.
Carnub icon. 9
Cassiā ad nos sępe vetustate acida aduehitur. 5.
Cassię optimę quę. ibid.
Cassiā immaturā non colligi. ibid.
Cassiarum recentium usus noxius atque inutilis. ibid.
Cassiarum vsus apud AEgyptos qualis. ibid.
Cassiarum facultas, atque vtilitas. ibi.
Cassiarum differentiæ. ibid.
Cassiæ quos morbos sanent. ibid.
Cayrus Cassias cæteris omnibus præstātiores fert. ibid.
Cassiarum vera icon. 7.
Cucumeris icon. 117.
Chate quid atq; eius vsus. 114.
Chate cucumerorum ad varios morbos vsus. ibid.
Chate cucumerorum descriptio. ibid.
Chamædrys arborea quo in loco proueniat. 135. eius descriptio. ibid.
Cineres vnde parent AEgyptii. 125.
Cineris seminum vrticæ vsus ad quæ. 130.
Clysterium ex decocto Acaciæ usus. 13.
Colocasiam neque florem neq; fructum ullum edere. 101.
Colocassia caule, floribus, fructibusque caret. ibid.
Collocassiæ radicis vsus ad cibum. ibid.
Coriarii Cayrini succo Acaciæ vtuntur ad denigrandas pelles. 10.
Corticum Capparis vsus ad medicinam 130.
Corticum fructuū Mauz usus. 78. & 79.
Coriandro herba AEgyptios vesci. 131.
Coriandrum herbam virentem esitatā nihil mali facere. ibid.
Coriandri herbæ ad cibum apud AEgyptos vsus. ibid.
Coriandri seminum vsus. ibid.
Coriandrorum vsu neminem læsū. 132.
Coriandri facultatem esse calidam. ibi.
Coriandrum homini venenum, falsum. 132.
Cucumerorum Chate vsus apud AEgyptios qualis. 114.
Cucumis Chate quos morbos iuuet. ibid.
Culcas siue Colocassiæ descriptio. 101.
Culcassiæ radicum usum conferre ad ve-

venerem. ibid.
Colocassiæ veræ icon. 102.
Cyperi rotundi descriptio. 112.
Cyperi radicum facultas atque vsus. ibid.
Cyperi rotundæ radices quos morbos iuuent. ibid.
Cyperi AEgypto prouetus. ibid.
Cyperi rotundi multam copiam Nilum flumen producere. ibid.
Cyperus rotunda ad morbos frigidos vtilis. ibid.
Cyperi rotundæ icon. 113.
Cyprum Plinii esse Ligustrum, & Elhanne AEgyptiorum. 45.
Cyperi descriptio ex Plinio. ibid.

D

Dachel vocant Arabes Palmam. 24.
Dactylorum differentiæ. ibid.
Dactylorum immaturorum vsus ad medicinam. 27.
Dactylorum maturorum ad medicinam vsus. ibid.
Damiata Musarum facunda. 89.
Damiata olim Pelusium. 78.
Damiatæ ciuitatis situs. 106.
Decoctum vel infusum pulpæ Tamarindorũ ad quos morbos AEgyptii usurpant. 35.
Decocti El caoua vocati vtilitas, et vsus. 63.
Decocti ex Musis vtilitas. 78.
Decoti Tamarici vtilitas atque vsus. 32.
Decocti ex Siliquis dulcibus parati vtilitas, & usus. 8.
Decocti ex ligno Tamarici parati vtilitas, & vsus. 32.
Dialogus del Balsamo Cayri conscriptus. 48.
Diodorus Siculus balsamum nasci in Arabia scripsit. 50.
Dus inuolucrum dactylorum. 27.

E

Electuarium ad augendam venerẽ. 129.
El hanne, seu Tamarendi in quo differat à Ligustro. 44.
El hanne AEgyptiorum eiusdem esse facultatis cum Ligustro. ibid.
El hanne ex foliis Arhenda vocata pulvis paratur, atque eius usus. 46.
El hanne seu Ligustri AEgyptii Icon. 47.
Emplastrum ad tumorem lienis. 129.
Epithymum. 142.
Epithymi, & Epithymbræ vtilitas. ibid.

F

Faba AEgyptia an Culcas sit. 101.
Fabæ Aegyptiæ seu Colocassiæ usus veneri confert. ibid.
Fænugræci vsus apud AEgyptios. 135.
Fæcem olei Sesami maxime pingue facere. 89.
Ficus AEgyptia, Sycomorus idem. 20.
Ficum AEgyptiam esse vastissimam arborem. ibid.
Ficuum Sycomori usus atque vtilitas. 21.
Fistularum Cassiarum differentiæ atq; præstantia. 3. & 4.
Fistulas Cassiarum non colligi immaturas. ibid.
Flores Gelsimini Arabici. 72.
Florum Calaf vtilitas. 61.
Flores Cassiarum odorati. 3.
Foliorum Palmarum vsus apud AEgyptios. 25.
Folia quarum plantarum Solẽ in AEgypto sequuntur. 35.
Folia Tamarindi solem continuè sequi. ibid.

Foliorum Liguſtri commercia. 44.
Fructus Bahobab Icon. 68.
Fructus Mauz facultas, & vſus. 78.
Fructus Mauz noxÿ ſtomacho. ibid.
Fructus Mauz quæ corporibus mala inducant. ibid.
Fructuum Mauz ſeu Muſæ vtilitas. ad tuſſientes ſuperioſoſque. 78.
Fructuum Subeſten vſus ad medicinam 19.
Fructum Tamarici vſus. 32.

G

GAlenum non rectè Opobalſami vſus videri nouiſſe. 56.
Gabrielem Falopium cognouiſſe aſperã Smilacem eſſe Salſam parillam. 136. & 137.
Gelſimini Arabici Icon. 73.
Gelſimini Arabici deſcriptio. 72.
Gelſimini florũ vſus apud AEgyptios. ibidem.
Georgius Hemus Cõſul AEgypti, Giumez AEgyptiorum eſt Sycomorus. 21.
Goſſipiÿ arborei, Icon. 71.
Goſſipium, quo vtuntur AEgyptiÿ aliunde aduehunt. 69.
Goſſipium arboreum. ibidem.
Goſſipiÿ vſus apud AEgyptios. ibid.
Goſſipiÿ ſeminum uſus. ibid.
Graminis crucis deſcriptio. 121.
Graminis Crucis ad medicinam vſus. ibidem.
Graminis ſeminum decoctum ſecretum eſſe ad adiuvanda Exanthemata in Febribus Peſtilentibus. ibid.
Gramen ad Vlcera, Vulneraque vtile eſſe. ibid.
Graminis Radicem ſudorem mouere. ibidem.
Graminis Crucis Icon. 122.
Graminis decocto mulieres ad Variolas & Morbillos puerorũ, atque Mẽſtruorum ſuppreſſionem. 121.
Gummam Arabicam eſſe gũmam Arboris Acaciæ. 12.
Gummam Arabicam in AEgypto veram colligi ex Acacÿs. ibid.
Gumma Acaciæ qualis ſit. ibid.
Gumma Arabica non tota eſt vermicularis ac alba. ibid.
Gummæ Arabicæ cognitio. ibid.
Gummarum copiam quæ ex Alexãdria veitur eſſe totam Acaciæ. ibid.

H

HErniarum multarum per AEgyptum vagantium cauſæ. 116.
Hiſtoria peregrinorum Meccham, & Medinam euntium. 52.
Hyoſcyamus albus qui in AEgypto prouenit. 131.

I

ICones plãtarum AEgyptiarum nullum rectè prodidiſſe. 1.
Itineris Aegypto in Arabiam Felicem narratio. 52.
Iuventutem conſeruare opobalſamum, & quomodo illo vtantur. 58.

K

KAlli geniculatum. 125.
Kalli album. ibidem.
Kellu ſeu kalli tertiæ ſpeciei deſcriptio. ibidem.
Kellu omnes ſalſas, & acres guſtui. ibidem.
Kellu Kalli tres ſpeciei. ibid.
Kellu plantæ uſus ad cineres. ibid.
kellu ſub qua Anthyllidis ſpecie reponatur. ibidem.
Kellu facultas purgatrix. ibidem.
kellu ſeu kalli primi icon. 126.
Kellu ſecundi icon. 127.

Kellu

Kellu tertij, quod AEgypti proprium videtur, icon. 128.129.

L

LAblab est Phaseoli species atque eius usus. 74.
Lablab seu Phaseoli nigri icon. 75.
Lactis Beidelsar vtilitas ad cutis infectiones. 85.
Lactis Beidelsar usus. ibid.
Lactis Beidelsar facultas solutiue que ibidem.
Lac Beidelsar dysenterias facere. ibi.
Lapides Renum atque Vesice cur Aegyptijs sint familiares. 121.
Ligni Balsami vsus. 59.
Ligustrum Aegyptium. 44.
Ligustri Aegyptij icon. 47.
Ligustri foliorum atq; florum est vsus apud Aegyptios. 45.
Ligustri vtilitates ex Dioscoride. 46.
Linimentum ex Acacia pro articulis debilitatis. 14.
Loca, que balsamum olim aluerint. 35.
Ladanum plantam esse plane differentem ab ea que hactenus herbarijs fuit cognita. 143.
Ladani planta Cretensis descriptio ibi.
Ladanum esse cistum fœminam. ibid.
Ladanum in quo à cisto fœmina differat. ibidem.
Lotus Aegyptius quid. 103.
Lotum Aegyptium esse Nynphaeā. ibid.
Lotum in Italia locis copiose prouenire, & in quibus. 130.
Loti mirabiles ad solem conuersiones in Marghera lacubus obseruari. 104.
Loti usus ad Cibū apud Aegyptios. 103.
Loti caules Aegyptij crudos mandunt. ibidem.
Lycij Indi arboris descriptio. 40.
Lycio uero non uti Aegyptios. 41.
Lycij, quo utuntur Aegyptij, adulterati nota. ibidem.
Lycium Indum, quo in loco Aegypti proueniat. ibidem.
Lycij facultas. 42.
Lycij succi usus. ibid.

M

MAhemetis pseudo propheta Turcarum sepulchrum ubi sit. 51.
Marum Creticum quid. 142. atque eius descriptio. ibid.
Marum Cretense esse Amaracum ibi.
Mattheolus de Ladano deceptus. 143.
Mauz seu Musa descriptio. 78.
Mauz foliorum mira magnitudo. ibid.
Mauz fructus uenerem augere. ibid.
Mauz icon. 80.
Mechla ciuitas Arabia Fœlicis. 51.
Melā thij seu nigella usus apud Aegyptios. 130.
Meliloti Aegyptij descriptio. 122.
Meliloti seminum apud Aegyptios esse usum. 123.
Mel ex siliquis dulcibus Carub Aegyptios colligere. 8.
Melle siliquarum dulcium sacchari loco Aegyptios vti. 8.
Mellis Carnub usus, & vtilitas. ibid.
Mel dulcium Siliquarum siue carnub quos morbos juvet. ibid.
Melochia descriptio. 92.
Melochia in cibis nihil Aegyptijs familiarius. ibid.
Melochia facultas atq; usus. ibid.
Melochia usus quas offensas faciat. ibi.
Melochia Semina purgant. ibid.
Melochia icon. 93.
Melones Abdellavi quid. 114.
Melonum Abdellavi seminum facultas, & vtilitas. 115.
Mucagine, seu mucilagine psyllij Aegyptijs ad quos morbos utatur. 131.
Mucilaginis seminis Gossipij usus. 69.

Mu-

Mucilaginem psyllii cōferre ad diarrhœas biliosas, & dysenterias. ibid.
Mucilago seminum Gossipij quos morbos sanet. ibid.
Mulieres Aegyptiæ qui sterilitatem amoveant. 57.
Mulieres urticę seminibus utuntur ad promovendos menses. 130.
Musam esse insitionem Cannæ Saccharinæ supra Colocasiam. 21.
Musæ fructus qui. 78.

N

NAbca fructus apud Turcas esse in magno pretio. 16.
Nabca bis in anno fructus edunt. ibid.
Nabca, Paliurum, Canorum, idem esse. ibid.
Nabca est Paliurus Athenai. ibid.
Nabcę Icon. 19.
Nigella, quę in Aegypto prouenit. 129.
Nigellę semina vermes necare. 129.
Nux Methel est Stramonium. 132.
Nymphea uel Loti Aegyptii usus ad Medicinam. 104.
Nymphea usus ad somnum conciliandum. 104.
Nymphea radicis usus pro secreto ad Gonorrhœam, & ad Dysenteriam. 105.

O

OCymi Aegyptij descriptio. 132.
Ocymum Aegyptium odoris iucunditate alijs præstare. 132.
Ocymi Aegyptij usus. 133.
Olei sesami usus ad multas cutis infectiones. 99.
Olei Gelsimini ex floribus vsus. 72.
Oleum Gelsiminum uteri affectibus multis conferre. 72.
Oleum ex Gelsimini floribus quomodo paretur. 72.
Opobalsami historia. 66.
Opobalsami notę. 54.55.
Opobalsami facultas. 56.
Opobalsami vsus apud Aegyptios cogniti. 56.
Opobalsamo Petrum Marianum ex vulnere capitis effatu digno curatū 56.
Opobalsamum quos morbos speciatim sanet. 56.
Opobalsamum sterilitatem curat. 57.
Opobalsamo quomodo utantur mulieres ad iuuentutem in facie seruandam. 58.
Oxalis Zacynthina in quo ab Italica differat. 135.

P

PAliuri fructuum descriptio à Serapione. 17.
Paliuri fructuum facultas ex Serapione. 17.
Paliuri vsus. 17.
Paliurum nouit Athenæus ex Agathocle. 17.
Paliuri descriptio ex Agatochle. 17.
Paliurus Athenai est Napca Aegyptiorum. 17.
Paliuri Athenai descriptio. 17.
Paliuri Athenai Icon. 19.
Palmæ descriptio. 24.
Palmæ fructuum seu Dactylorum differentia. 24.
Palmæ Icon. 28.
Palma quando fructus ferat. 25.
Palmā aere nutriri putāt Ægyptij 25.
Palmæ vsus apud Aegyptios. 25.
Palmam breuissimis radicibus constare. 25.
Palma mas, & fœmina. 25.
Palmarum conceptiones non fieri radicum contactu. 25.
Palmam fœminam sine mare non con-

cipere, neq; fructus edere. ibid.
Palmas fœcundas quomodo Aegyptij efficiant. 25.
Palmæ steriles quæ in Aegypto. 25.
Palmæ folliorum vtilitas. 26.
Palmæ caudicis vsus. 26.
Palmæ fructuum vtilitas atque vsus. 27.
Palmæ partes ad usum medicinæ. 27.
Partes palmarum, quibus Aegyptij ad medicinæ usum, utantur. 27.
Papyri descriptio atque usus. 110.
Papyri aqua ad oculorum suffusiones, caligines, & obscuritates. 110.
Papyri Icon. 111.
Pelusium Cassias fert bonitate Cayrinis inferiores. 4.
Pelusii nunc Damiatæ ciuitatis uiridaria. 106.
Pestes infectis opobalsamum auxilio esse. 57.
Petrus Marianus ex uulnere effatu digno opobalsamo sanatus. 56.
Phaseoli rubri Abrus uocati descriptio. 76.
Phaseoli rubri icon. 77.
Phaseolorum rubeorum usus. 76.
Phaseoli nigri Lablab uocati descriptio. 74.
Phaseolorum nigrorum usus. 74.
Phaseoli nigri arboreæ icon. 75.
Pinguescere mulieres usu seminum Sesami. 99.
Piper longum, facultas, usus, atque eius icon. 96.
Plantas peregrinas in uiridarijs custodiri. 49.
Plantas locorum patrias ubique nasci. 59.
Plantæ Aegyptiæ. 1.
Plantæ Aegyptiæ, solisequia. 35.
Plantarum Aegyptiarum ad medicinam utilitas. 1.
Plantarum Aegyptiarum icones ueras nullos delineasse. 1.
Podagricus dolores maximè iuuari Acacia. 13.
Psyllium copiosissimè in Aegepto prouenire. 129.
Psyllij usus ad medicinam. 129.
Psylliū in Aegypto nō esse uenenū. 129.
Pueris in uariolis palmarum decocti usus. 27.
Pulpæ Bahobab usus ad medicinā. 66.
Pulpæ Cassiarum usus & utilitas. 5.

R

Ramich uocant Dactylum penè immaturum. 27.
Rotob Dactyli sub putridi. 27.
Rhabarbari plantæ descriptio. 135.

S

Sadar Serapionis est Nabca Arabum ac Aegyptiorum. 17.
Salsa parilla Zacynthi quomodo inuēta. 137.
Samarrhich quid. 27.
Sanguinem expuentibus succum Acaciæ auxilio esse. 13.
Sant arborem ab Aegyptijs vocatam esse ueram Acaciam. 9.
Sebesten arboris duplex genus. 29.
Sebesten arboris domestici & Syluestris descriptio. ibid.
Sebesten icones. 30. & 31.
Secamone descriptio. 133.
Secamone succi facultas. ibid.
Secamone quid. ibid.
Secamone an sit Apocynum. ibid.
Secamone icon. 134.
Secretum ad pruritum tollendum ex oleo sesami. 99.
Seminum Gossipij usus. 69.
Seminum urticæ usus. 129. & 130.
Semina urticæ quos morbos sanent. ibid.
Seminum Psillii usus apud Aegyptios. 129.

Semi-

Seminum Sesami vsus ad cibum. 98.
Seminum Coriandri vsus. 132.
Seminum Bon facultas, & vsus. 66.
Semina Abdellaui Melonis in refrigerando cæteris præstare. 115.
Semina Loti seu Nymphææ homines ad venerem impotentes reddere. 105.
Seminum Meliloti facultas, & vsus. 123.
Seriph Meccha Dominus. 52.
Seriph Mecchæ quæ munera mittat Turcarum Rex. 52.
Sesami plantæ descriptio. 88.
Sesami foliorum, seminumque facultas. 89.
Sesami siue Sempsem icon. 90.
Sesami decocto in quibus morbis utantur. 98.
Sesami usus apud mulieres. 98.
Sesamo pinguescere corpora. 98.
Sesban descriptio. 81.
Sesban vsus in Aegypto. ibid.
Sesban seminum vsus. ibid.
Sesban icon. 82.
Siliquas Tamarindorum Arabes condiunt earumque usus. 35.
Siliquarum Cassiæ differentia, & præstantia. 2.
Siliquas Cassiæ immaturas non colligi 2.
Siliquas Cassiæ recentes & paruas Aegyptij condiunt. 2.
Siliquarum cõditarum vtilitas, & vsus. 2.
Siliquas Cassiæ recentes ad vsum puerorum Aegyptij condiunt. 2.
Siliquas Carub apud Aegyptios esse in usu. 8.
Siliquarum dulcium Carub vocatarum vsus ad medicinam. 4.
Smilacis asperæ Zacynthinæ descriptio. 138.
Smilax aspera quibus notis Salsa parilla esse dignoscatur. ibid.
Smilacis asperæ radices Zacynthi crassas & oblongas spectari; contra in Italia. ibid.
Smilax aspera in siccis durisque locis inuẽ am cur non repræsentet Salsam parillam. 139.
Smilacis asperæ duæ radicum differentia. ibid.
Smilacem asperam in Zacyntho prouenientem ab ea quę in Italia nascitur esse differentem. 140.
Smilacis asperæ Zacynthinæ icon. 141.
Smilacem asperam esse Salsam parillã 137.
Smilaces asperas Italas à Salsa parilla differre. 138.
Solani radicum corticibus ad quæ Aegyptij utantur. 130.
Sophera. 83. icon 84.
Solanum somniferum quod prouenit Alexandriæ. 130.
Solani somniferi usus. 131.
Stratiotes ex Dioscoride. 106.
Stratiotis Dioscoridis icon. 107.
Stratiotes quibus in locis Aegypti nascatur. 106.
Stratioten quomodo Aegyptij atque Arabes appellent. 106.
Stratiotes ad sistendam quamcumq; humoris fluxionem multum valet. 106.
Stratiote ad quos morbo Aegyptij utãtur. 106.
Stratiotis facultas, & vsus. ibid.
Strabo Balsamum ait in Arabia nasci. 65.
Stramonij usus. 131.
Styrax in Creta Insula. 143.
Succo ex prunis Syluestribus Italos pro Acacia uti. 4.
Succus Acaciæ quomodo ab Aegyptijs paretur. 4.
Succi Acaciæ præcipuæ vires. 5.
Succi Acaciæ vsus apud Aegyptios. 6.
Suc. Acaciæ quos morbos sanet. 5.
Succi fructuum Paliuri Athenæi usus. 7.

Sues

Sues liene carere qui cibum in vasis ex Tamarisco paratis cibum assumunt. 32.
Suffitus ex seminibus urticæ ad promouendos menses. 129.
Sycomori descriptio. 20.
Sycomori Gal. meminit. ibid.
Sycomorum esse insitionem Fici supra Morum. 21.
Sycomorum cur in arenosis Aegypti locis Deus produxerit. 21.
Sycomorum apud Matharea nunc viuere, qui olim Christum puerulum texit occultasse, Aegyptij dicunt. 21.
Sycomorus fœcundissima arbor. 21.
Sycomorus fructus non fert, ni prius verberibus multis laceretur. 21.
Sycomorus quo modo propagetur. 21.
Sycomori ficuum usus, & utilitas. 22.
Sycomori Icon. 21.
Syruptum ex Dactylis immaturis Aegyptij parant, atq; eius usus. 27.

T

TAlla quid. 130.
Tamarindi arboris descriptio. 35.
Tamarindum Arabes vocant Derelside. ibid.
Tamarindi folia solem sequi. ibid.
Tamarindi arborem ali in deserto D. Macharij. ibid.
Tamarindi foliorum usus. ibid.
Tamarindorum siliquas condiri ad usũ viatorum per Africæ loca. ibid.
Tamarindorum pulpæ usus. 35.
Tamarindi arboris Icon. 36.
Tamar Dactyli sicci maturi. 36.
Tamariscus Italiæ qui ignotus. 32.
Tamariscus siluestris ubi proueniat. ibid.
Tamariscus domestica quibus in locis proueniat. ibid.
Tamarici arboris descriptio. ibid.
Tamarici fructus, qui. ibid.
Tamarici arboris usus. ibid.
Tamarici foliorum vtilitas. 33.
Tamarici Icon. 34.
Theophrastum & Dioscoridem de loco deceptos. 94.
Theriaca huius tẽporis cur ea quæ antiquitus parabatur sit imperfectior. 61.
Theriacam huius temporis demorsos à serpentibus non curare. ibid.
Theriaca huius temporis nemo venenatos curare confidit. ibid.
Thymi Cretensis descriptio. 142.
Thymus secundus in Creta inuentus. ibid.
Thymbra. ibid.
Turcas, et Arabes omnes affirmare innumeras Balsami plãtas in Arab. 18.
Turcæ quomodo angurijs vtantur ad cibum. 115.
Tumores duros Sesamum sanare. 98.
Tussietibus cõferre oleũ Gelsiminũ. 8.

V

VEnenatis Opobalsamum auxilio esse. 56.
Visci ex fructib⁹ Sebestẽ praparatio 29.
Ad quos morbos Aegyptij eo vtantur. 29.
Visci huius facultas, atque vsus. 29.
Vrtica quæ Alexandriæ prouenit. 129.
Vrticæ seminum vsus. 129.
Vteri duritiem sanari Bammia. 38.
Vzeg arboris descriptio. 40.
Vzeg esse Licium Indum. ibid.
Vzeg vel Lycij Indi Icon. 33.

X

Xylobalsami vsus Aegyptijs noti 23.

Z

ZAaf sunt folia palmarum. 27.
Zatar endi Icon. 95.
descriptio & vsus. 103.

PROSPERI ALPINI
DE PLANTIS AEGYPTI
LIBER

CVR DE PLANTIS IN ÆGYPTI LOCIS prouenientibus sit agendum. Cap. I.

ALPINVS, GVILANDINVS.

QVINTA nunc agitur dies, ex qua in viridarium nos colloquendi causa convenimus, in quo ubi medicinæ ejus, quæ penes Ægyptios habetur, historiam ad finem perduxerimus, nihil aliud de illorum medicina dicendum nobis superfuisse, arbitror. Quare aliis nos sermonibus hac die in solito hujus amœnissimi viridarii recessu, sub harum arborum umbra sedentes, animum recreabimus. GVILAND. Quid? an non etjam illorum locorum plantæ agnoscendæ supersunt? de quibus quidem te sermonem quoque facturum aliàs es pollicitus: cum ipsarum historia, ob varias in medendo utilitates, ad sermones hactenus de Ægyptiorum medicina inter nos habitos maximè pertinere videatur? nec enim minus ex his utilitatis, atque voluptatis, quàm ex illis nos esse suscepturos speramus cum à nullo hactenus illæ rectè observatæ, ac traditæ sint, maximeque quo ad ipsarum veras icones, quas nemo profectò hucusque rectè & accuratè cognovit. Quod quidem ex Cassia Ægyptiaca, quam vulgus medicorum, fistulam, aut solutivam vocat, Paliuro Athenei, quam ii Nap-

ca appellant, ex alcanna Avicennæ scilicet ligustro Aegyptio, Cypro à nonnullis dicto: ex balsamo, Acatia, Lycio, Tamarisco, Faba Ægyptia, Strathiote, atque aliis quamplurimis nostri temporis plantarum studiosis prorsus ignotis, plane est manifestum. Itaque Ægyptiarum plantarum sic ab omnibus desiderata historia, non est à te nunc silentio prætereunda. ALPIN. Posteaquam te has plantas, quas loca Ægyptia producunt, tantopere ex me audire delectat, cur ego tui observantissimus, tibi plane morem gerere non debeo? Illas igitur hac die, quoad potero diligentiùs, tibi omnes aperire tentabo, ac præterea quos hæ ad medendum usus apud eas gentes habeant: GVILAND. Nunquam equidem de plurima tua erga me humanitate, & benevolentia dubitare potui. Quare nihil optatius, ac gratius mihi contingere poterat. Pluresque ideo nunc tibi gratias habeo: tuaque erga me hæc animi promptitudo esset nunc multis laudibus efferenda, quod minime faciam, ne summam tuã modestiam offendam. At hæc nunc omittamus, neque in his hodiernum tempus conteramus. Vbi itaque in viridarii hujus amico recessu, quo Solis radii pertingere nequeunt, sub istac umbra consedimus, ut plantarum illarum historiæ principium facias tempus suadet; ac primum ab arborum narratione exordiens, de cassia fistula agito.

De

De cassia fistula, Chaiarxambar vocata. Cap. II.

ALPINVS.

CASSIA fistula, quam Ægyptii Chaiarxambar appellant, est arbor nuci, trunco, ramis, foliisque proxima, truncus corticem habet planum, mollem, atque cineritium, qualis omninò in crescenti nuce spectatur. Folia multo plura quàm in nuce, alæ adligata pendent, in alis folia decem spectantur: totque ex qualibet ferè ala pendere observantur, utrinque ordinatim quinque posita; sunt etjam hujusce arboris folia nucis foliis duplo longiora, & in extremo aculeata. Flores fert aureos, multos, leucoiis proximos, sed multo majores, numerosioresque, florum anagyridis instar, alæ adligatos, ac pendentes: alæ siquidem omnes innumeris fermè floribus onustæ ac graves deorsum vergere cernuntur. sunt etiam hi valde odorati, præsertimque oriente Sole. Aegyptii diluculo per Cassiarum loca deambulare sæpiùs odoris causa consueverunt: quippe aura à cassiis, eximium ac gratissimum odorem spirantibus, ad ipsos delata, oblectantur. Apud illos enim florentes arbores aer matutinus perpetuò eximiũ, ac suaviorem odorem re dolet. Flos quilibet in medium multa capillamenta, tenuissima, rosarum flosculis similia habet, quæ paulatim crescentia, in crassiores fistulas postea mutantur. spectantur primo ipsa tenuissima obliqua, ac obtorta, deincepsque magis peraucta, crassiora evadunt, ac magis recta, tandemque justam magnitudinem adepta, rectissima, ut Calami fiunt. Fistulæ majores cannæ crassioris magnitudine spectantur, atque duorum ferè cubitorum longitudine. Arbor florere incipit mense Iunio, floret toto etjam

menſe Iulio Alexandriæ & Cayri. Peluſii verò nunc Damiatæ, caſsias menſe etjam Septembri florere vidi. Cannæ vel fiſtulæ toto anni ſpacio maturantur, totoque anno ſemper hæ in arbore manent, quas Aegyptii Iunio tantum menſe Cayri colligunt, quo tempore multæ, parvæ, recenter ex primis floribus productæ virides ſpectantur, phaeſeolorum ſiliquis valde ſimiles: quæ paulo poſt creſcentes, paulatim viridem colorem in nigrum commutant. Has recentes & parvas, virides aqua in primis ebullitas ſaccharo illi condiunt. Quarum ſic conditarum ingens copia in varias regiones aſportatur. Quæ Peluſii in arboribus leguntur, corticem habent craſsiorem, & parum intus ſubſtantiæ obtinent. Cayrinæ verò, & Alexandrinæ cortice conſtant tenuiori, multaque ſubſtantia intus plenæ, ex quo hæ cæteris omnibus bonitate præferuntur. Quæ, ut aliàs quoque dictum eſt, duplicis ſunt differentiæ: etenim aliquæ aliæ ſubrubræ, quas Abes vocant, à colore illiuſce generis, cernuntur: quæ ſunt omnium optimæ, & aliæ nigræ. Quod de caſsiis aliqui dixere, optimas cannas manibus concuſſas ſonum non edere, ibi planè falſum obſervatur, quandò omnes recentes motæ ſonum edant, atque etjam in arboribus cannas à ventis motas, ſeminibus intus motis, multum ſonum edere quotidie propè eas habitantes, audiunt. Quod etjam dulces ſiliquæ faciunt. quæ verò ex caſsiis non ſonant, ab Ægyptiis vituperantur, opinantibus id ob aqueam humiditatem intus collectam, vitiata pulpà accidere. Neque immaturæ colliguntur, ut aliqui referunt. Emuntur verò ſæpeſæpiùs ab advenis mercatoribus ſenio confectæ, cum ingens copia ſæpè in ædibus ad eam rem paratis, annos ad uſque quadraginta adſervetur. Collectas enim ex arbore continuo in opportuna

lo-

loca sic ii claudunt, ut nullus aer ingrediatur, cum ex minimo aeris contactu cassiæ corrumpantur. Hincq; sæpissimè ad nos vetustatæ viriatæ ac etjam acidæ mitti solent. quam ob rem rogatos esse velim omnes pharmacopolas, ac medicos, ne post hac se decipi sinant, & semper ex illis seligant recentes, quarum substantia subdulcis est, antiquasque acidum, ponticumque saporem sapientes effugiant. Aegyptii cassiis non utuntur recentibus, sed saltem post quartum mensem: quandoquidem juniores, recentioresque inutiles neque à noxa immunes observantur. Vtuntur vero, atque nostri quoque faciunt, fistularum pulpa vel in bolis, vel in potione, parata. Est hæc pulpa quo ad calorem temperata, atque humida supra primum gradum, bilemque, ac etiam pituitam à stomacho, atque venis mesenterii educit, & sanguinem calidiorem contemperat, atque puriorem reddit. Abissina vocata cœteris in urbe Cayri præfertur ad morbos biliosos, ac melancholicos, præcipuæque in affectibus pectoris, à distillatione acutorum humorum concitatis, quibus mire subvenit. Pulpa hac cum saccharo candido, & liquiritia pro secreto uti solent ad renum, vesicæque vitia: renum enim extinguit immodicum calorem, humoresque ab his partibus abstergit, atque per urinam expellit: proinde ipsius frequenti usu homines se à calculis præcavent. Ea etjam utuntur ad tussim antiquam, dispnęam, asthma, & orthopnæam cum agarico. pro calidis articulorum doloribus, maximeque in podagra, dolentibus partibus, emplastri modo ipsam adhibent, nec non ad calidas inflammationes eodem modo ejus usum sequuntur. Siliquas verò cassiarum, proinde ac phaseoli parvas virides in aqua prius parum ebullitas, & mox in umbra ab humiditate siccatas, saccharo, vel melle condiunt,

atque

atque ad usum servant puerorum delicatarumque mulierū; exhibent verò ad summum eas usque ad uncias quatuor, & ad unciam in pueris. Hisque utuntur ad eosdem nuper dictos affectus. GVILAND. Placuit mihi hæc cassiarum historia, sed cupio ut tu mihi & cassiæ, & aliarum, quas observasti, plantarum figuram ostendas, quando te probe omnes delineasse, ac pinxisse certò sciam, quod nemo antea recte id nobis præstiterit. Quamobrem prius visa cassiæ arboris icone, alias plantas narrare mihi pergito.

CASSIA FISTVLA, CHAIARXAMBAR.



De


De siliquis dulcibus, carub, ab Ægyptiis vocatis.
Cap. III.

ALPINVS.

CASSIÆ proxima est arbor carub, vel carnub ab Aegyptiis dicta, quæ cum in Aegypto nascatur, dicenda quoque à me erat. Arbor est nobis notissima, cum harum arborum in multis etjam Italiæ locis multa sit copia, quales sunt, quæ in Neapolitano agro, & Apulia cernuntur: in iis locis etenim copiosissimi aluntur. Ex hac arbore Aegyptii siliquarum tantum usum cognoscunt; Mel quidem ex ipsis extrahunt dulcissimum, quo Arabes sacchari loco, cassias solutivas recentes ac parvas, zinzibere, mirabolanos, Tamarindos, atque alios multos fructus condiunt. Hujus quoque mellis usus est frequentissimus vice veri mellis ad Clysteres, & aliqui etiam per os sumendum concedunt ad subducendum alvum: ipso etenim alvus non minus quàm pulpa cassiæ ibi ad excretionem movetur. Vtuntur etjam in renum inflammationibus eo, intus extraque apposito. Ad tussientes, asthmaticos ipsum non secus, quàm cassiam exhibent, valdeque ipsos juvat, non minus decoctum ex siliquis paratum eadem hæc præstat. At modo de spina Aegyptia, acatia vocata, multis hactenus ignota loquamur. GVILAND. Nihil mihi carius esse nunc poterit, quàm de hac planta dicentem audire, quem planè in illis locis ejus veritatem cognovisse scio.

SI-

SILIQVA DVLCIS CARVB, & carnub vocata.



De Acacia *Cap. IIII.*

ALPINVS.

ACACIA, quam Sant Aegyptii appellant, in Aegypti locis à mare remotis naſcitur: hujuſque arbores copioſiſsimæ in mõtibus Synai, penes rubrum mare poſitis pro-

ueniunt. Creſcuntque ad mori magnitudinem, ramoſque ſurſum latiùs expandentes; quod etjam Dioſcorides admonuit, dicens: arborem non in rectum ſe attollere. Caudex quanta eſt pruni magnitudo cernitur corticemque habet nigrum, aſperum, multis acutiſſimis ſpinis munitum. Arbores, quæ in prædictis montibus ſpectantur, ſpinis albis horridiſſimæ exiſtunt, aſperrimoque Cortice truncus cernitur: Folia oblonga, parva minutiſſimè inciſa habet, tanaceti proxima. & Flores parvos, pallidos ſubflavos, atque etjam albos rotundos, parvos lanæ floccos imitantes, platani fructibus forma planè ſimiles, his tamen longe minores, & nihil aliud flos hujuſce arboris videtur, quàm mollis lanugo parvum rotundumque globulum efformans, non ingrati eſt odoris. Quæ Cayri aluntur, flores habent flauos vel pallidos, & quæ ſunt in montibus Arabiæ, albos. Ex floribus ſiliquæ lupinorum amulæ proferuntur, ipſis veruntamen minores, inprimis virides, & mox nigræ apparent; quæ ſemina dulcium ſiliquarum ſeminibus ſunt ſimilia, & in ſiliquarum folliculis ſunt concluſa. folia, flores, ac fructus guſtum aſperitate multa ac ſtipticitate feriunt. Ex immaturis ſiliquis, viridibus ſuccum exprimunt, quem coquunt, ut indurent. Nonnulli etjã ex foliis, floribus imperfectis ſuccum parant, ſed eo eſt hic bonitate inferior. Cayri Coriarii ad denigrandas pelles multam copiam illiuſce ſucci abſumunt. Hujus arboris mas atque fœmina reperitur, Mas quidem ſpinis eſt horridus, fructus non edit. Fœmina ſpinis paucioribus, mollioribuſque referta eſt, eaque intra ramos non habet, ſed tantùm extra. Quæ arbor eſt fœcundiſsima, florereque orientibus Pleiadibus, Novembri ſcilicet Menſe incipit, & rurſum iiſdem occidentibus: ſcilicet menſe Martio, biſque in anno

fructus

fructus fert, atque maturat. Sine dubio hanc arborem esse veram antiquorum Acaciam, vel spinam Aegyptiam, ex notis affirmandum est: præcipueque quia nulla alia arbor spinosa in Aegypto reperitur, quæ magis notis acaciæ tributis respondeat, atque multo magis quod illi Kachiam quoque nominant. GVILAND. Hinc ego multos non possum non vehementer admirari, qui nesciant acaciæ verum succum hùc ex Aegypto quotidiè comportari. Nunc enim pauci pharmacopolæ existunt Patavii, ac Venetiis, qui eum succum ignorent, quem Orientalem acatiam appellant, ad illiusce succi, quem multi pro acatia substituunt, differentiam, qui ex sylvestribus prunis à quibusdam paratur. Neque minus etjam miror nonnullos, quod hanc plantam non à Clarissimorum Venetorum consulum medicis, vel pharmacopolis in Ægypto multos annos versatis acceperint potiùs, quã ex Græcia, quam acatiæ feracem fuisse nemo antiquorum dixit, veluti multi, quòd in Aegypto hæc planta vivat, spinam Aegyptiam ipsam nominarunt. Huiusmodi itaque plantæ genus non ex Græcia ut Andreas Mattheolus Bizantio se habuisse ait, in quo tamen non parùm deceptus fuit, sed ab Aegypto foret petendum, in qua omnes scriptores acatiam copiosissimè provenire affirmarunt. Tibique acatiæ illam imaginem, quam Mattheolus pinxti, planè falsam esse notissimum ex dictis puto. ALPIN. Aliud de acatia erit animadvertendum, quippè multos sic etjam errasse, ut putarint gũmam, quam arborem hanc ferre multi meminerunt, apud nos utique non reperiri, neque ex Aegypto veram comportari, quod ipsam forma vermiculari constare Dioscorides prodiderit. Gummamque hanc, quam falsò Arabicam appellant, aiunt, esse similem potiùs aliarum arborum, quippè

B ce-

cerasorum, prunorum, persicorum, pomorum, pyrorumque gummis. Quare veram Arabicam, vel Aegyptiam, quæ in Caudice acatiæ arboris, ut scriptores herbarum prodiderũt, gignitur, nequaquam reperiri. GVILAND. Quid tu ea de re sentis? ego vero horum esse nugas puto ALPIN. Hoc certè scio, me sæpissime hisce manibus Cayri in Viridariis multis acatiæ arboribus refertis, ex ipsorum truncis multam collegisse: ac præsertim in Viridario propè ędem Veneti consulis posito, in quo sunt multæ arbores acatiæ; ex quibus Gumma manat, pace Dioscoridis dixerim, non tota, sed paucissima, quæ vermiculari forma spectetur, neque tota alba, ac clara. Vno etenim colore, ac una figura neutiqua omnes acatiæ arboris gummę spectantur, talemque formam, vel figuram accipit gumma, qualem motus succi è cortice, manantis fit, nam, interim ubi ad modum est crassus, non multum deorsum movetur, sed statim ferè excretus coalescit, granosaque gumma tunc fit, tenuiore vero succo exeunte, multumque fluxili, aliquando oblongam gummam reddit, atque uno verbo dico, me vidisse gummas acatiarum, figura atque colore plerasque cerasarum prunorum ve gummis haud dissimiles. Prӕterea scies quoque, totam gummarum quantitatem, quæ ad nos ex Aegypto convehitur, esse acatiæ arborum: quandò nulla ibi arbor sit, hac excepta, quæ gummas educat. Aegyptus siquidem ac Arabia, prunis, cerasis, pomis, atque aliis gummosis arboribus omninò caret. ex quo non ex alia, quàm ex acatia gummas Arabes ac Aegyptii colligunt. GVILAND. vera loqueris, sed dic quæso etjam ejus medicos usus, quos tu apud eam gentem probè observasti? ALPIN. Aegyptii acatiæ arboris utuntur succo ex siliquis immaturis expresso, vel etjam ex flo-

floribus, foliis, vel ex fructibus etjam. Succi hujus usus apud eos frequentissimus est ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos: ad oris, auriumque omnia ulcera, nec non ad labiorum fissuras, ad dentes collabentes roborandos, atque firmandos, succo in pulverem redacto, postablutionem ex decocto ejusdem succi, vel foliorum, vel florum, parato, factam, utũtur supra gingivas asperso, ac eo dentibus confricatis. Sanguinem spuentibus dragmam singulomane aliquo liquore dissolutam, potandam offerunt, mirasque ad quamcumque sanguinis fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Ego sæpissimè hoc solo auxilio multas mulieres ab immodico uteri Profluvio penè mortuas revixisse, atque sanatas fuisse certo scio. In jis quidem, quæ has immodicas patiuntur vacuationes, clysteribus ex acatiæ foliorum florumque decocto paratis, in uterum injectis utũtur atque etjam succo pulverixato, prædicto cum decocto dissoluto, atque immisso. In alvi fluxionibus eodem modo tum clysteres frequentant, tum per os succum fæliciter exhibent. Ad annum, uterumque foras procidentem succo dissoluto cum foliorum, florumque decocto, nihil habent præstantius, ac frequentius quo utantur. Ad eos, qui ex quacumque causa articulos debiles habent, fomentum, ex iisdem omnibus paratum pro præsentaneo auxilio habent. neque imerito. cum acatia prævalidissima adstringendi vi prædita sit. Omnes ejus fomento utuntur ad defendendos articulos ab humorum decursu. atque non minus in iisdem tumefactis; atque inflammatis, præsertim in principio dum humores adhuc in cursu existunt. Hincque usus ad podagricos dolores frequentissimus est, maximamque vim habet aca-

acatia, ut à podagricis incursibus homines præservet. Non desunt, qui ad ea mala non modo foris fomenti, vel balnei modo acatia utuntur, verùm etjam succi modicum per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consuescunt, ut ipsæ internæ viæ angustiores factæ minùs cursui humorũ pareant. Aliqui, etjam ex succo acatiæ, atque aceto linimentum parant, ad liniendos articulos debilitatos, quo sanè mirifice eos roborant, ac firmant. Multos novi recenter à podagra tentatos, usu assiduo acatiæ planè convaluisse, qui singulis diebus per horam ad minus, pedes in decoctum acatiæ calidum detinebant; eoque fomentabantur, pedesque absterios linimento ex succo acatiæ opobalsamo, acetoque parato etjam inungebant. Ad pudendorum, aliarumque debilium partium ulcera difficilia, succi aqua pluries loti pulverizati usus est illis familiarissimus, decocto etjam utuntur, ad exsiccandas pustulas omnes, præsertimque Gallicas, sed decoctum parant etjam cum modico ligni Guajaci. In pueris etjam ad achores in capite orientes, & decocto, & pulvere utuntur. hicque acatiæ est usus apud eam gentem nunc frequẽtatus.

ACA-

ACATIA, SANT, ET AKAKIA.



De

De Paliuro Athenæi, Nabca appellato *Cap. V.*

ALPINVS.

ARBOR in Aegipto, quam illi Nabca dicunt, loti magnitudine ſpectatur, inſtar acatiæ ſpinoſa, *folia* ferens jujubæ proxima, veruntamen latiora, & flores jujubæ floribus quoque planè ſimiles, albos ac parvos, à quibus erũpunt pomula rotunda, odorata, dulcia, guſtui que valdè ſuavia, ceraſorum majorum Maroſticenſium appellatorum æmula, quæ apud primates Aegyptios, ac Turcas ſunt in magno pretio. Arbor bis in anno, ſcilicet vere, ac autumno flores, fructuſque maturat, fæcundiſsimaque exiſtit, veruntamen veae fructus non perfecte maturant, nec ut in Autumno perficiuntur, plerique enim ipſorum prius putreſcunt, quàm matureſcant. Autumno perfectiſsima ac optima evadunt. GVILAND. Sine dubio hanc arborem eſſe paliurum & connorum olim ab Alexandrinis appellatum, Athenæi ſcriptis conſtat. De qua arbore ſic in lib. 14. ſcripſit: Meminit de jis Agathocles Cyzicenus his verbis libro » hiſtoriarum patriæ tertio: Cum in ſepulchrum fulmẽ irruiſ» ſet, arbor ex tumulto pullulavit, quam illi connorum nomi» nant. Eſt autem planta ulmi piceæque magnitudine, nihil» que minor. Truncos habet frequentes, & oblongos, ſpinaſ» que paulum prominentes: Folium eſt tenerum ac viride, » phyæque ſimillimum. Fructum bis quot annis producit, ve» re ſcilicet, ac Autumno, qui dulcis eſt omninò, & olivæ, » oleaſtrique fructui ſimilis. Carnem oſque illi ſimile habet: » at differt, ſucci voluptate, cujus fructus etiam viridis come» ditur. APIN. Sine dubio puto prædictam arborem eſſe

cannorum, sive paliurum eandem, quam Athenæus prodi- »
dit. etsi fructus osque non videatur omnino similis Nabca
fructui, ac ossi, quando ii similes pomis sint, ossaque rotunda, & non oblonga, qualia in olivis cernuntur existant. Nusquam tamen in Aegypto ex siccatis illis fructibus farinã fieri apud eos animadverti. Sed precipuus usus ipsorum est recentium, ac viridium pro cibo. eis siquidem omnibus, atque nostris; cerasa mandere, consuetudo est. Sed nunc ad ejus usũ in medicina explicandũ transeamus. GVILAND. Fructuum usum esse videtur Arabibusque notissimus, de quo Serapio sic scripsit: Sadar duæ sunt species vna est Affri, & alia est Adhal: sed Affri non non habet spinas acutas: »
& folia ambarum spetierum sunt lata, & rotũda: & Nabuch »
ex Adhal sunt parvi: & meliores ex eis sunt illi, qui sunt ex ea »
regione, & offerũtur Regibus: & sũt dulciores omnibus aliis: »
& melioris odoris, & aromatizant os comedentis, & indu- »
menta, sicut alia aromata. Horũ fructuum facultas est frigi- »
da & sicca in primo gradu, perfectè maturi aliqualem habẽt »
humiditatẽ, sunt omnes adstringẽtes ante maturationẽ, quo- »
rum usus frequens est ad stomachi alvique relaxationem firmandam: ad quæ mala succum etjam ex ipsis immaturis expressum, familiariter tùm per os sumptum, tùm Clysteribus injectum sequũtur. utuntur etjam iisdem fructibus siccatis, atque in aqua in fusis. aqua enim infusionis ipsorum utuntur, ut dictum est, ad relaxationum intestinorum, atque etjam ad ulcera intestinorum. Sed maturorum siccatorum decoctum, vel infusio familiarissima est ad omnes pestiferas febres: ajunt enim hos fructus miram adversus venenosas qualitates, & putredinem efficacjam habere, corque strenuè roborare. Succus perfectè maturorum optimus est ad

purgandam bilem à stomacho, atque à primis ductibus venarum. In omnibus putridis febribus infusione ex ipsis parata libenter ad sedandum calorem utuntur. Esui summè jucundi existunt hi fructus, præcipueque maturi, tamen parùm nutriunt, facileque, ut cerasa, in stomacho corrumpuntur, si immoderatè ipsorum esui indulgeatur, stomachusque offenditur. GVILAND. Non desunt multi, qui (neque immeritò) inter jujubas hanc arborem recensent, quo factum est, ut mirum non sit, aliquos etjam viros doctissimos jujubam paliurum esse voluisse. Sed arboris hujus nunc detegas figuram.

NAB-

NABCA PALIVRVS ATHENEI CREDITA.



De Sycomoro Gjumez vocata. Cap. VI.

ALPINVS.

ARBOR vaſtiſſima ab Aegyptiis Gjumez vocata, in Aegypto provenit, quam noſtri Sycomorum, ac ficum Aegyptiam appellant. Hanc proceram arborem in arenoſis, ſterilibuſque Aegypti locis Natura ſagaciſsima produxit, ſub qua poſſent homines ab injuria radiorum ardentium Solis aliquandò ſe tueri. Maxima ſiquidem arbor eſt ramoſque ſic latiſſimè ſpargit, ut magnam umbram viatoribus præbeat, quæ in hujuſmodi calidis locis, arenoſis, ac ferè Solis calore inflammatis, libenter expeti ab omnibus ſoleat. GVILAND in lib. 2. de alim facul. Galenus ſcripſit ſe Alexandriæ Sycomorum vidiſſe parvæ ficui ſimilem: quamobrem creſcentis adhùc, juveniſque Sycomori, & non adulti magnitudinem ſpectaſſe arbitror: quòd tàm grandem arborem, omnibus communem, ipſe non animadverterit.
« Dioſcorides meliùs ipſam deſcribens, dixit. Sycomorum ali-
« qui etjam ſicaminam, ideſt morum vocant, cujus fructus Sy-
« comorum, propter inefficacem guſtum appellant. Arbor
« eſt magna, fico ſimilis; frondoſa, multo lacte abundans, fo- »
« liis mori, pomum ter aut quater anno fert, non ramis, ut fi- »
« cus, ſed caudice ipſo caprifico non diſſimile, dulcius groſſis, »
« ſine granis interioribus: quod non matureſcit, niſi ungue, »
« aut ferro ſculpatur. ALPIN. Hæc deſcriptio veram utique »
Sycomori figuram exprimit, ſed ubi ait, foliis mori adderem craſſioribus, candidioribus, atque aſperioribus, quod hæc folia non niſi magnitudine ac forma, à ficus foliis differant.

GVI-

GVILAND. Vnde Aegyptii dicunt tantam hanc arborẽ habere cum fico & moro similitudinem, in qua utriusque figura spectatur? ALPIN. Insitionem fici supra morum plures illorum affirmant, veluti Musam insitam quoque fuisse cannæ saccharum ferentis supra radicem colocassiæ aliquibus est suasum: quod tamen nondum experientia verum esse didici. Sine dubio in hac arbore, truncus, rami, cortexque ipsorum, fructus, lac, foliorum asperitas, colorque fici apparet; & foliorum figura, magnitudo moro respondet. Fructusque tardè, neque perfectè maturescere, atq; saporem aqueum & jucundum habere: hinc aiunt mori frigiditatem impedire, quominus fructus perfectam maturationem consequantur. Hæc arbor, ut multi etjam meminerunt, sic est fœcunda, ut nunquam multis fructibus careat, qui caudici adnascuntur, minimeque ramis, neque fructum hæc arbor producit, nisi prius multis verberibus sæpè laceretur, sic ut caudicis quoque cortex vulneretur, ex quibus vulneribus lac continuò exit, undè ramus parvus, ficus ferens interim ternos, interim quinos, interim septenos, & plures etjam. Hæc arbor ex seminibus non nascitur, cum ficus seminibus careant, sed ramis insertis propagatur, estque ex iis, quæ citò crescunt, diutissimeque, quod mirum videtur, vivunt. Quæpiam Sycomorus in Mattherea visitur, quæ sic ab habitatoribus credita est antiqua, ut omnes pro certo habeant in illius trunci cavitate quadam olim Verginem beatissimam, iram Herodis Hierosolima fugientem, illùc se recepisse, & Christum puerulum Servatorem nostrum per multos dies occultasse: ex quo ea arbor apud multos in multa est veneratione, maximèque ejus trunci meatus, qui Christum occultavit, quem ipsi Dei magni Spiritum fuisse faten-

tur,

tur. Fabulosum est quod dicit Matthæolus, truncos ramosq; hujusce arboris nunquam siccari, ni prius in aqua projiciantur, & morentur aliquantulum. Vsus ficuum in cibo est stomacho nocuus, ipsumque laxat, labefactat atque subvertit. Eos verò ficus utiliter comedunt, qui vel itinere, vel Sole incaluerint, refrigerationeque opus habent, & humectatione: fructus siquidem hi frigidi temperatè existunt, multumque humidi. alvum facilè lubricant, atque relaxant. tumores omnes calidos, atque duros ficubus emplastri modo usi sanãt. Pauci sunt, qui succum, ut meminit Dioscorid. ex trunco vulnerato colligant: affirmant tamen præsentaneum esse auxilium ad emolliendos scirrhosos tumores, atq; ad pestem non ignobilem usum habere.



SY-

SYCOMORVS GIVMEZ APPELLATA.



De

De Palma Dachel. Cap. VII.

ALPINVS.

PALMA notiſſima eſt arbor non modo Aegyptiis, Arabibus, Syris, aliiſque orientalibus populis, ſed Italiæ quoque multis populis, de qua ob id paucis mihi agendum puto. Arbor eſt ſimplici caudice in rectum ſe attolens, viginti paſſuum & amplius altitudine. Folia enſibus ſimilia habet, deorsùm cannarum modo decidentia, Vere floret. Ramus enim quodam involucro oblongo, veſicæ modo, ad ver uſque clauſo, & tunc aperto præditus, flores emittit parvos, albos, odoratos racematim deorsùm ab involucro reſidentes, ac pendentes. Martio ſiquidem menſe involucra illa ſuis alis adligata aperiuntur, è quibus globus filorum inſitorum proſilit, floreſque his filis, vel capillamentis appenſi cernuntur, a quibus dactili parvi virides, uvarum racemos imitantes producuntur, qui Autumno maturantur. Varii hi fructus inter ſe obſervantur magnitudine, figura & colore. Alii etenim oblongi, magni, craſſi, perindè ac pruna alba (quæ Iulio menſe in agro Baſſanenſi maturantur) ſpectantur. Alii ſunt parvi, longi, glandibus quercuum ſimiles, alii rotundi, craſſi. Alii virides, alii albi, alii flavi, aliiq; rubri, immaturi omnes ſapore aſpero ſtypticoque feriunt, maturi dulciſsimi. qui vero propè ſunt, ut perfecte maturentur, guſtum Caſtanearum, dulciorem, ſuavioremque repreſentant. Hæc arbor alternis tantum annis copioſiores fructus edit, neque (quod dictu valde mirabile videtur) fœminæ concipiunt, ac fructificant, ni in ramis maris fœminæ

ramos

ramos aliquis permiſcuerit, ac ſe quaſi oſculari permiſerit. Plerique fœminas ut fœcundent, non ramos, ſed pulverem intra maris involucrum inventam ſupra fœminarum ramos, atque cor ſpargunt, vel alii flores maris pulveris loco ſpargere ſolent. ni enim Aegyptii hoc fecerint, ſine dubio fœminæ vel nullos fructus ferent, vel quos ferent, non retinebunt, neque hi matureſcent. GVILAND. Haud credendam iſtam palmarum conceptionem, quæ fit arte à te narrata, arguere videntur innumeri dactili, qui in Arabiæ deſertis feruntur; in quibus ſyveſtrium palmarum ſylvæ reperiuntur, quæ ſine hominum cultu optimos fructus ac copioſos producunt, retinent, ac maturant, ex quo judico fœminas ad fœcunditatem moveri non ramis, vel pulveribus, aut floribus marium, ut Plinius, atque alii quoque meminerunt, ſed magis non ſecus quàm aliæ arbores radicum marium, atque fœminarum contactu facere ſolent, ſe ad fœcunditatem parare. ALPIN. Arabes palmarum cultus periti reſpondebunt, palmarum fœcunditatem in Arabiæ deſertis, licet arte non fiat (quando in his locis hæ arbores, ut dictum eſt, ſine ulla cultura fructus producant) adjuvare ventos, marium è ramis pulveres, floreſque ad ramos fœminarum aſportantes. Radicum utriuſque ſexus palmarum mutuam conjunctionem eſſe conceptionis cauſam, dicendum non puto, quando ſic brevioribus radicibus palmæ omnes donatæ ſint, ut etſi ferè ſimul cohæreant, nullus tamen radicum contactus inter eas eſſe poſſit, mirabileque dictu, palmarum altiſsimos vaſtiſsimoſque caudices ſeu truncos poſſe ſic brevibus, tenuioribus, paucioribuſque radicibus in aerem ſubſiſtere, neque ſub multa gravitate, ventiſque etjam vehementibus ſæpe ipſos quatientibus humi concidere. Accedit, quod caudicis po-

ſtrema pars humi proxima, pondus totius arboris ſuſtinens multo gracilior, atque debilior reliquo caudice exiſtit. Hinc plures Aegyptiorum hoc miraculo ducti dixere, palmas non terra radicibus attracta, ſed aere ex ſublimiori arboris parte ali, ac vivere. quod hac etjam conjectura ſibi ipſis perſuadent. Quia ſi palmæ ſublimior pars, quam cor ipſi vocant, excidatur, univerſam plantam ilicò areſcere obſervarunt: quod non accidit inferiori radicum conciſa parte. Non eſt alia ulla arbor palma humano generi utilior, ſiquidem ex truncis domorum trabes faciunt, ex ramis, parietes, multaq; alia lignea vaſa ad uſum, quæ Cuffaz nominant. ex foliis flabella & ſportas, è caudicis cortice funes pro navibus. fructuũ verò utilitas ſatis omnibus nota eſt. Sed quem ipſi ad medendum uſum habeant, nunc quoque dicam. Ex fructibus tria ſunt præcipuè, quibus ſanitatis gratia utuntur, quippè ſpartum, pulvis ſparto, vel involucro contenta, atque dactili. Sparti igitur membrana tùm pulvis facta utuntur, tùm ex ea parato decocto. Pulvis maximum uſum habet per os ſumpta ad Diarrhæeam, lienteriam atq; dyſenteriam, non minuſq; ad omnes alias vel ſanguinis, vel alterius humoris innaturales vacuationes firmandas: præcipuè verò ad hepaticum fluxum, hemorrohidum, atque uteri cruentam vacuationem, atque ad ſputum ſanguinis Hoc pulvere quoque utuntur ad firmanda ulcera depaſcentia, ad uvæ relaxationem, ac ad dentium commotionem. Decocto ad omnia prædicta quoque utuntur, ſed ſæpè cum eo miſto prædicto pulvere. articulos debiles aptoſque fluxionibus mirum in modum ipſum juvat, eos firmando & roborando. Pulvere vero albo in involucro veris tempore inventa, quandò ſcilicet palmæ florere incipiunt, utuntur familiariſſimè, ad faucium rau-

raucedinem, tussim, & ophthalmias cum sacchar o misto, estque ipse dulcis subadstringens, mulieres eum habent familiarissimum, ad firmandos menses retinendumque fœtum. Eundem utique usum habent dactili immaturi tùm in cibum usitati, tùm ipsorum decoctum, ad sputum sanguinis, & quamcumque sanguinis vacuationem cohibendam: & ad lienterias, diarrhæas, & dysenterias: ad vomitum sanguinis, hæmorrhoidas exiccandas, atque ad ulcera vulneraque simplicia persananda. in frequentissimo usu ad nuper dictos affectus habent syrupum ex dactilis immaturis confectum. iisdem dactilis utuntur probè maturis, qui tunc admodùm dulces existunt, cum obscura adstrictione. idcircò eos frequentant ad faucium raucitatem, tussim, dispnæam, pleuritim, ac peripneumoniam. non minusq; ipsorum decoctum frequentatur ad adjuvandas variolarum in pueris excretiones. Vocant arborem Dachel, & ramum cui appensi sunt dactyli Samarrhich, dactylorumque involucrum, dux, ac dactylum recenter enixum prorsus immaturum talla, & grandiorem factum nin, & ramich per-fectionem sive penè maturum, Maturumque bellan. Siccos maturos tamar, & qui ferè putridi sunt rotob, foliaque arboris Zaaf.

PALMA DACHEL.



De Sebesten. Cap. VIII.

ALPINVS.

SEBESTEN arboris in Aegypto naſcentis duplex genus reperitur, alterum ſylveſtre pruno ſimile, atque domeſticum, alterum foliis latioribus, craſſioribus a ſylveſtri differens. Vtraque arbor flores fert albos, parvos, geranii proximos, à quibus fructus creſcunt parvis prunis rotundiſq; ſimiles. quorum nuclei tricoſtati cernuntur. Illa arbor fert fructus minores, tardè matureſcentes, imperfectiores, iis, quos domeſtica Sebeſten profert, qui ſunt majores, melioreſque. toto autem anno in arbore fructus cernuntur. Vere florent, Autumnoque fructus maturant. ex pulpa ipſorum optimum viſcum conficiunt, quippe Sebeſten maturos contundentes, atque lavantes. Sunt aliqui, qui maſticando, pulpam ab oſſe lingua exſpuentes, viſcum parant; quantitatem horum fructum in vaſe collectam, parum quoad aquea humiditas abſumatur, bullientes. Viſco utuntur omnes emplaſtri modo ad omnes ſcirrhoſos tumores. ipſe quidem calidus eſt in primo gradu, atque humidus in ſecundo, vimque habet attractoriam attenuatoriam, & reſolventem; reſolvit omnes tumores, & emollit omnem duritiem Aliqui ad tuſſim ex eo paratos bolos cum ſaccharo candido, & radicis liquiritiæ pulvere multis diebus ſumunt. Fructuum uſus familiariſſimus eſt ad tuſſim, diſpnæam, orthopnæam, pleuritim, peripneumoniam; & ad vocis raucedinem, parato ex ipſis decocto, quo etjam ad multas febres uti conſueſcunt, præſertim pectore aliquam noxam patiente. Sed nunc de Tamariſco loquamur.

SEBESTEN DOMESTICA.



SEBESTEN SYLVESTRIS.



De Tamarisco, atle vocata. Cap. IX.

ALPINVS.

TAMARICI, quem miricam & Tamaricem Dioscorides nuncupat, sylvestris genus, Italiæ est notissimum nasciturque propè fluminum ripas, aridaque & saxosa vel arenosa loca, potiusque apud stagnantes aquas, ut docuit Dioscorides. de hoc non loquimur, quandò ipso Aegyptus plane careat. Alterum vero tamarici domesticum genus in Aegypto spectatur, proceritate figuraque admodùm à sylvestri diversum, quòd ad magnæ olivæ magnitudinem crescat. audioque etjam supra Aegyptum in loco sahit ab iis populis vocato, crescere ad magnæ quercus magnitudinem, cujus ex lignis carbones faciunt, quibus tota Aegyptus, & Arabia utitur. ex eoque ligno multa vasa conficiunt, ad multorum ægrotantium usum. Folia fert sylvestris tamarici foliis proxima, tamen longiora, & graciliora, apparentque multa capillamenta viridia, qualia in aliquibus equisetis visuntur, ramo appensa, semper virentia, fructus fert paucos, raros, virides, nucum magnitudine, duros, lignosos, sine nucleo, & videntur ejusdem substantiæ esse cum gallis: omnes verò figura inter se differunt, quamquam in omnibus aspera & inequalis observetur, quando alii longi, alii breves, alii rotundi, alii lati, alii crassi, aliique graciles existant. Vsus Tamarici tùm in Aegypto, tùm magis supra Aegyptum, ubi horum arborum copiosus est proventus, est ad ignem major, quando nulla ferè alia ligna ad comburendum habeant. Folia hujusce arboris usum habent ad lienem induratam, obstructam, & refrigeratam. Vasaque ex ligno, ut dictum est, conficiuntur,

tur, quo lienosi uti consuescunt: ob ejusque multam, quæ ex hoc ligno habetur, ad id morbi genus utilitatem, mirari non debemus, si Plinius (quod tamen fabulosum est) dixerit, sues assuetos cibum capere. in vasis è ligno tamarici confectis, liene carere. Mulieres decocto ex Cortice parato utuntur, per os sumpto, ad sistendas menstruas purgationes, ex quo parant etjam insessiones, & clysteribus in uterum injiciunt decoctum. idem quoque fructus facere ajunt. iis siquidem utuntur in sputo sanguinis, in lienteriis, & in menstruis plus iusto fluentibus, atque hæmorrhoidarum immodico fluxu. dentes etjam commotos, atque collabentes ipsorum decocto firmant: atque in iis concitatum dolorem demulcent. Vtuntur etjam ad oculorum lippitudines incipiētes, in collyriis atque ad oris ulcera. Cinis quoque corticum & fructuum ulcera curat. De ligno vero multi decoctum, non secus quam nostri ex ligno Indo ad curandam luem Gallicam facere soleant, parant, quod exhibent leprosis, scabiosis, atque aliis multis, pustulis & ulceribus affectis, feliciori cum successu. Idemque faciunt in melancholicis, ictericis nigris, & hydropicis ex refrigerato obstructo, ac indurato liene, conci[illegible] arborem illi vocant Atle.

TAMARISCVS ATLE.



De Tamarindo Derelſide vocata. Cap. X.

ALPINVS.

TAMARINDVS, quem Derelſide appellant, arbor eſt pruni magnitudine, ramis denſis: myrthi foliis Seſban proximis prædita: flores fert albos mali aurantii floribus per quam ſimiles, è quorum medio exeunt quatuor fila alba, & tenuiſſima, ex quibus ſiliquæ craſſæ producuntur primo virides, tandem maturæ cineritiæ, quæ intus nonnulla ſemina craſſa inæqualia, duraque, atque pulpam nigram guſtui acidam, continent. In Aegypto non ſunt admodum hæ arbores copioſæ, neque ſunt patriæ: ex fœlici etenim Arabia atque Aethiopia illuc convehuntur, in viridariiſque ſervantur. Miraculi loco habetur, quod dicitur, unam arborem in deſerto Divi Macharii, propè monaſterium Aſsiriorum, vivere, in quo ſolo nulla alia planta vivit. Hæc planta hoc mirabile habet, quod ejus folia Solem ſemper ſequuntur, Soliſque ſe quia dicuntur: nam ipſo occidente omnia in ſe clauduntur, eodemque oriente, aperiuntur, atq; hæc motio tantam vim habere in iis obſervatur, ut ſiliquas dum habent occidente Sole, eaſdem foliis in ſe arctiſsime claudant, & retinere ſpectentur. eodemque oriente, apperiantur, ſiliquaſque relinquant. Hanc foliorum converſionem pluribus Aegyptiis aliis plantis communem animadverti, quippe Acatiæ, Abrus, Abſus, Seſban, atque Tamarindo. Vtuntur foliis Tamarindi in pueris ad vermes necandos, atq; etjam ipſorum vel infuſo, vel decocto ad ſolvendum alvum. acida ſunt folia atque guſtui non inſuavia. Arabes condiunt

ſiliquas ſeu cannas hujus arboris parvas ac virides ſaccharo, vel melle Carub, tum etjam grandiores factas atque maturas, condiunt ipſarum pulpam ſaccharo, quam per itinera, quæ in deſertis Africæ locis conficiunt, ſecum viatores deferunt. Qua ſæpè, calefacti, ac ex calore itinereque inflammati valdè ſitientes refrigerantur, atque ſitim reſtringunt; per alvum plurimum calidorum humorum ſubducentes atq; vacuantes. In febribus verò peſtilentibus, atque omnibus aliis ex putridis, exurentibus, aquam, in qua multa copia Tamarindorum infuſa fuerit cum ſaccharo ebibunt: potus ſi quidem ſitientibus ex calore jucundiſsimus eſt, maximeq; refrigerat, & ſitim exſtinguit. Ad omnes denique febres putridas à bilioſis, exuſtiſque humoribus concitatas, ad hepatiſque atque renum calefactiones ac inflammationes, prętereą ad gonorrhæam uſum Tamarindorum frequentant; vocant Derelſide.

TAMARINDVS DERELSIDE APPELLATA.




De Agihalid. Cap. XI.

ALPINVS.

ARBOR cernitur in medio cujuſdam Eunuchi Turcę viridario, quod parum ab æde Veneti Conſulis diſtat ex Æthiopia aſportata, magnitudine pyri ſylveſtris, ramis raris non multis, in rectum inæqualiter delatis, ordinatim acutiſsimis, multis ſpinis obſita, folia præſeferens buxi proxima, tamen latiora, pauca, rara, ſingula, bina æqualibus interſtitiis ad nata. Flores habet parvos, albos, Hyacinthi orientalis floribus ſimiles, ſed minores, à quibus prodeunt fructus nigri ebuli ſimiles, guſtu ſubamaros ac adſtringentes. Folia guſtum acido ſapore feriunt, cum aliqua adſtrictione. Hujus arboris foliorum uſum ad pueros vermibus vexatos, in Æthiopia audivi eſſe familiariſsimum. Quid? an non Lycium hanc arborem eſſe putandum eſt, cum Dioſcorides de hoc ſic ſcripſerit: Lycium, quod aliqui Pixacantham vocant, arbor eſt ſpinoſa, ramis trium cubitorum, aut longioribus, foliis buxi, denſis, fructu piperis, nigro, lævi, amaro, denſoque cortice, pallido, nõ diſsimili Lycio madefacto, radicibus multis obliquis lignoſis. GVILAND. Agihalid, ut ex tua deſcriptione, quam vidi, non frutex, ſed arbor videtur. Lycium verò fruticem potius eſſe, quàm arborem, ex Dioſcoride didicimus. Præterea hic frutex foliis denſis & non raris cernitur, qualia in tuo Agihalid exiſtunt.

AGIHALID.



De Vzeg; atque an sit Lycium Indum. Cap. XII.

ALPINVS.

FORTASSE arbor illa Agihalid vocata, pro Lycio aspernanda non esset Sed nunc verum Lycium Indum tibi prodam: quem fruticem longe ab Alexandria Civitate supra ripas rami Nili Calig vocati, decem millia passuum inveni: quem incolæ Vzeg appellant. est igitur frutex multis ramis rectissimis, ab radicib. multis, duris, lignosis obliquè incedentibus, longitudine trium cubitorum & plus observatis, sursùm assurgens, ramisque spinæ acutissimæ, & longæ multæque insunt, quorum quædam foliolis vestita spectantur. Folia verò hujusce fruticis sunt olivę similia, iis tamen candidiora & angustiora, vel minus lata. Flores Agihalid planè similes habet, quippè parvos albos, Hyacinthi orientalis forma & magnitudine æmulos: à quibus fructus nigri parvi producuntur, Buli fructibus prorsus similes, leves gustu amari & adstringentes. GVILAND. Cui dubium hanc arborem Lycium Indicum fore judicandum, modo Dioscoridi credendum sit, qui ipsum his profectò verbis descripserat, dicens: Tradunt Indicum fieri Lycium ex frutice Lonchitide appellato: id spinarum generi ascribitur, ramos rectos habens ternum cubitorum longitudine, majoresve, rubo crassiores à radice numerosos. fractus cortex rubescit folio oleæ similis. Ex hujus fruticis radicibus forsitan verum succum à nobis desideratum illi colligunt, ipsumque pro usu illis non deesse puto. ALPIN. Quamquam ibi multa copia Lycii circunferatur, tamen nescio an ex hoc illum frutice

con-

conficiant quandò neque hanc plantam copiosè in Ægypto provenire cognoverim, neque ſcio illis eſſe notam. Siquidem Lycium ab illis uſitatum falſum ac adulteratum eſſe arbitror. Hic enim ſuccus, qui ex Arabiæ locis aſportatur, durus eſt, nigerque exterius, Acatiæ ſucco valde ſimilis. fractus intus colorem aloes præſeferre videtur, odore obſcuro, non ingrato, ſapore ſubdulci, adſtringente, nullius amaritudinis participe: viſcoſuſque eſt, digitiſque contrectatus adhæret. ex quibus verus Lycius à me is non creditur, præſertimque cum neque amaritudinem habeat, neque igne ſuccenſum, ſive ignitum, rubeſcentem edere ſpumam, ut multi de vero Lycio tradiderunt, obſervamus. GVILAND. Sed cur tu verum ſuccum ex Vzeg perquirere non ſtuduiſti, eaque via certam Lycii ſucci cognitionem venatus non es. ALPIN. Hanc plantam tantum ubi in patriam redirem mihi ſpectaſſe contingit, quando ex urbe Cayri Alexandriam per Nilum flumen navigans, probè hanc urbem ſupra ejuſdem fluminis, ut jam dictum eſt, ripas, nonnullos frutices ferè ſæpem facientes, cum floribus, & fructibus jam maturis inſpexerim. Ex quibus ramum decerpſi, atque mecum Alexandriam detuli. Quo frutice ſatis conſiderato, Lycium eſſe ipſum cognovi. neque ipſo cognito tempus mihi ſuperfuit ad experiendum ejus ſuccum à radicibus expreſſum, quippe coactus, quamprimum Alexandriam pervenerim, navim nos pro itinere ibi morantem conſcendere, experiri non potui ſuccum, qui pro Lycio circunfertur. inter calidum & frigidum medium conſtituunt. ſed ſupra primùm gradum ſiccum, ſtipticum, proinde omnibus ulceribus loto utuntur, præſertimque ad oris, aurium, narium, ani, inteſtinorumque ulcera. uſus maximus eſt in collyriis ad ophthalmias arcendas,

F mu-

mulieres enim paratum linimentum ex Lycio & Antimonio habent, quo quotidiè oculos liniunt, ut oculos defendant ab humorum fluxionibus. eo etjam illi ad ventris fluxum utuntur, non minusque ad dysenteriam. Ad sputum sanguinis eo maxima spe utuntur; non minusque ad uteri profluvium cohibendum, eo pessi modo intromisso: ad ulceraque pudendorum, præsertim ad caries illum frequentant, ad gingivas corrosas & ulceratas; nec non ad dentium commotionem. in lienteriis dysenteriis, atque in fluxu hepatico, clysteribus eo uti consuescunt, atque non minus ipso aliquo liquore dissoluto atque ebibito. Nulli dubium quod illitum quamcumque partem à cursu humorum valenter defendit. ex quo ipsum podagricos dolores retardare, compertum est. Vzeg appellant.

VZEG LYCIVM INDICVM CREDITVM.



De Liguſtro Aegyptio, Elhanne, vel Tamarhendi vocato.
Cap. XIII.

GVILANDINVS.

VIDISTI ne tu ibi liguſtrum Aegyptium, quod Ægyptii Elhanne, ac Tamarhendi appellant. Ibi ſiquidem ipſorum maximum eſſe proventum audio. ALPIN. Sæpiſſimè inſpexi, ibique ea arbor tùm copioſiſſima eſt, tum etjam omnibus notiſſima: etenim ex foliis magna ibi fiunt comercia, etenim iis utuntur ad tingendum aureo colore. Vere hæc arbor Liguſtro ſimilis apparet, floribus fructibuſque exceptis, in quibus videtur aliqua diſſimilitudo inter elhanne, & liguſtrum, nam & ſi flores racematim perindè atque liguſtra ſpargant, tamen & colore, & figura, & odore ab his differunt. florum ſiquidem Elhanne non albus color, ſed cineritius eſt, floreſque figura ſambuci floribus proximi apparent, illis tamen ſunt minores odor etjam Elhanne eſt admodùm acutus, & Liguſtri ſuavior. Fructibus non minus inter ſe differunt, quando Liguſtri ſint baccæ juniperi ſimiles, & elhanne ſemina rotunda coriandros imitantia exiſtant. Fert etjam folia Liguſtro minus lata, anguſtioraque & candidiora. Fructus, ut jam dixi, ſemina nigra, parva, multa folliculo concludunt, qualia in granis uvarum cernuntur. GVILAN Quid? dubitas, eſſe hunc arbuſtum Liguſtrum? certè inter liguſtrum, & hunc aliquam eſſe differentiam, negandum non eſt. quæ ſoli diverſitate etjam accidere poſſet; quandò omnibus conſtet, quantum eædem plantæ in diverſis locis natæ inter ſe differant figura, atque etjam ſæpe facultate. ut in Rhabarbaro, & Rhapontico videtur, quorum radi-

ces,

ces, visu, gustu, eadem videntur, nihilominùs facultate manifeste differre compertum est. At de Elhanne quanquam aliquo pacto fruticis figura, floribus, & fructibus à ligustro differat, tamen ad eosdem valere morbos cognitum est, quibus Ligustrum subvenire Dioscorides, atq; alii prodiderunt. sed quid plura? cum apertissime Dioscorides voluerit hanc arborem esse Ligustrum: vt ex ipsius verbis planè constat, quæ hæc existunt. Ligustrum arbor est, quæ circum ramos " folia fert olivæ proxima, sed latiora, teneriora, & magis viri " dia & flores albos muscosos, atque odoratos, ejus fructus est " niger Sambuci fructui similis. Nascitur electissima in Asca- " lone & Canope. Folia adstrictoriam vim habent, quare " commanducata ulceribus oris medentur, illita, fervidis in- " flammationibus, carbunculisque prosunt. decoctum eo- " rundem igne ambusta, capillum ruffant trita folia, quæ in " radiculæ succo maduerint. Flos ex aceto fronti illitus capitis " dolorem sedat. Et de Elhanne, quam Alcanna Avicennas " vocat, hæc ferè eadem prodidit, dixit quidem, folia habere adstrictoriam facultatem, in vulneribusque eandem vim cum draconis sanguine habere, conferreque decoctum foliorum, calidis inflammationibus, & exustis ab igne particulis, & oris ulceribus: & cum aceto conferre capiti dolenti. ALPIN. Verè Elhanne Aegyptiorum Ligustrum esse Dioscoridis, constat, multo magis, quod nunquam in Aegypto Italicum Ligustrum inveniatur, in Canopeq; tantum Elhanne reperiatur, quæ ibi est copiosissima differt verò hic locus ab urbe Alexandriæ decem millibus passuum. GVILAND. Ca.10 Hinc quoque apparet hanc arborem esse Cyprum Plinii, de " quo ipse lib. naturalis historiæ xxiiij. sic scripsit: Ligustrum Ca.24 eadem arbor est, quæ in oriente Cyprus, atque in Ægypto "

nasci

„ nasci etjam his verbis libro 12. Cyprus in Aegypto est arbor „ ziziphi foliis, semine Coriandri, flore candido, odorato. „ Coquitur hoc in oleo, premiturque postea, quod Cyprus „ vocatur. prætium ei in libras quinque optimum habetur è „ Canopica in ripis Nili nata, secundum Ascalone Iudeæ. Ter- „ tium Cypro Insula odoris suavitate. Quidam hanc esse „ arborem dicunt, quæ in Italia Ligustrum vocatur. ALPIN. „ Flores sunt in usu frequentissimo dolenti capiti appositi, non „ tamen cum aceto, ut Dioscorides, atque alii meminerunt, „ quod si fecissent, manifestius, ut arbitror iis floribus juvarentur, intus medicamenti vi aceto penetrationem adjuvante, deducta. Ex foliis pulverem conficiunt, quem Archenda illi appellant. Hac mulieres utuntur ornatus gratia, manus ac pedes colore aureo tingentes. non autem in succo Lanariç vel Struthii, ut ait Dioscorides, sed simplici aqua eam miscentes, aquam auream faciunt, quæ aureo colore tingit, quod arcanum nostræ mulieres si agnovissent pro de aurandis ipsarum capillis, nil haberent, quo securius uterentur, neque sub radiis solis se urerent, variisque modis caput læderent. ex hac pulvere, cum aqua mulsa parata utuntur, ad humidos pedes fluxionibus obnoxios, ac multum exudantes fœtentesque emplastri modo pedibus ipsis apposita, ac per horam retenta, maxime enim pedes, & quascumque alias partes corporis, apposita exsiccat, ac adstringit. Nihil habet, quod exudantes pedes plus exsiccet, quam prædicta istæc massa apposita, & aliquandiù retenta: pulvere etjam hoc ad ulcera oris, gingivarumque, & pudendorum maximè utuntur.

LI-

LIGVSTRVM ÆGYPTIVM ELHANNE SEV Tamarhendi vel Alcanna Avicennæ.



Dē

De Balsamo, Balassan ab Aegyptiis vocato.
Cap. XIIII.

GVILANDINVS.

NVNQVID Balſami planta ampliùs in Ægypto vivit? ALPIN. Nequaquam, ſed in Arabia fœlici, quam Balſami feracem omnes tùm Ægyptii, tùm Arabes prædicant. GVILAND. Igitur Dioſcorides, Theophraſtus, Plinius, Iuſtinus atque alii ex antiquis Scriptoribus permulti, qui Balſamum tantum in Ægypto & in Iudęa olim vixiſse prodiderunt, decepti ſunt. ALPIN. Sine dubio illos non modo de loco Balſami patrio, ſed etjam de arbore quoque, ſucco, fructibus atque aliis deceptos fuiſse arbitror, ex quo etjam dubitandum eſset ipſos Balſami arborem viventem nuſquam vidiſse. GVILAND. Rem valdè admirabilem prædicas, de qua tibi non ita facile medici certam fidem adhibebunt; quæſo an non Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio, Serapioni atque aliis graviſsimis Scriptoribus de Balſamo magis quàm tibi credendum putas, qui in docenda herbarum ſtirpiumque materia, cæteris præferuntur, ac fide digniores habentur? ALPIN. Etſi in Dialogo olim Cayri conſcripto Balſami veritatem planè manifeſtam me reddidiſse puto, nihilominus quandò me nunc ut veram Balſami hiſtoriam narrem provocaſti, ut tecum de ipſa colloquar, atque commenter effugere nunc non poſsim quare iterum eadem,quę olim ſcripſi nunc repetere, cum res agatur tanti momenti, non me pigebit, & ne longiùs rem producam, dico Arabiã fœlicem Balſami locum patrium perpetuò fuiſse, ac nunquã

Ægy-

Ægyptum, ac Iudæam Balſami terram patriam fuiſſe, facile hinc conjicitur, quòd omnes, qui de planta Balſami mentionem fecerunt, eam in viridariis ſolùm cuſtoditam, minimeque in aliis incultis locis ſpontè natam, prodiderunt, ut Theophraſtus, Plinius, Solinus & Strabo ſigillatim meminerunt. Plinius ait: Sed omnibus odoribus præfertur Balſamũ uni terræ Iudeæ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum viginti non amplius, altero pauciorum. & Strabo de Balſamo Vallis Hierici ſcribens, dixit: Vbi & regia eſt, & Balſami viridarium, quæ arbor aromatica eſt & fruticoſa, cythiſo & terebintho perſimilis. Nulli dubium eſt plantas peregrinas in viridariis tantum ſumma cura cuſtodiri, & patrias non ſolum in viridariis vel hortis, ſed multis aliis in incultis locis, ſponte natas obſervari. Sed cur ſtudeo tibi perſuadere Balſami plantas in Iudæa advenas fuiſſe, cum Ioſeph lib. 5. de antiquitatibus Iudaicis rem planè claram effecerit, qui ibi meminerit, Sabam reginam primam ex Arabia Balſami plantam in Iudęam dono Salomoni Regi tuliſſe: ex qua poſtea aliæ propagatæ fuerunt. De Balſamo Ægypti eadem dicenda ſunt, cùm eam plantam ibi in viridario prope locum el Mattharia vocato, ſumma diligentia perpetuò cuſtoditam vixiſse, omnium Ægyptiorum relatione liquidò conſtet: quod omnes antiqui ac juniores Scriptores fatentur, minimeque in alio Ægypti loco inculto unquàm vivere inventam fuiſse, non ſemelque ibi periiſse, atque ex Arabia rurſum aſportatam inſertamque ac renovatam fuiſse, omnes Cayrini affirmant. Anno à partu Virginis Beatiſſimæ MDLXXV. Ægypti præfectus Eunuchus Meſſinor nominatus, dùm quaſdam partes Ægypti viſeret, præſertimque el Mattharia, quem locum ob Virgi-

nis Beatissimæ honorem ac observantiam singulis hebdomadis die Veneris, quem diem isti, ac nos Dominicum sanctificant, adire ac visere, in ipsoque loco orare consueverat. proximè cùm esset in viridario, videns omnes plantas Balsami exaruisse, ac periisse è Meccha quadraginta plantas afferendas curavit, quæ sanè in eodem viridario insertæ fuerunt, paucisque annis rursum curatorum negligentia periere. Quamobrem Ægyptii Balsamum semper ex Arabia habuerunt. quæ res scitu ibi non est difficilis, cum sæpius multi è Meccha per rubrum mare Cayrum veniant. Iter quidem à Cayro in Meccham est facillimum, & frequentatissimum. verùm non esset inutile nunc me historiam peregrinorum, qui annis singulis illa loca religionis causa, adeunt, atque visitant, subnectere, sic enim certiora de loco, ex quo veniat nunc Balsamum, habere poteris. nec non undè Rex Turcarum multum opobalsami habeat. GVILAND. Perplacuit mihi ex te audivisse Arabiam *fœlicem* nunc, perpetuòque fuisse Balsami feracem, ex Ægyptiorum Arabumque testimonio. Quod verissimum existimo, quandò Dioscorides, Theophrastus, Plinius, Solinus, Serapio, Sethus, atque alii scriptum reliquerint, solum *Ægypto* ac Iudeæ fuisse olim Balsamum concessum. Quibus Scriptoribus plena fides fortasse haud omninò, me judice, erit adhibenda, cùm permulti alii ex antiquis Arabiam olim quoq; Balsami feracem fuisse testatum reliquerint. Diodorus etenim Siculus in 2. libro suarum historiarum, Balsamum in quadam Valle Arabiæ nasci, & non alibi memoriæ prodidit. & Strabo in 16. lib. Geograph. ait: His proxima est fœlicissima Sabeorum terra, quę maxima natio est, apud hos thus & myrrha, & cinamomum nascitur, in ora etjam Balsamum, & alia quędam herbula

bula valde odorata, & Pausanias lib. 9. De Viperis verò iis, quę in Arabia inter Balsami arbores versantur, diversum quidem accepi. Sed cur nos magis Dioscoridi, Theophrasto, atque aliis de Balsamo quàm Ægyptiis & Arabibus propè Balsameta natis credere debebimus, pręcipuè quia incertus sum illos unquam viventem Balsamum offendisse, ac inspexisse, & hi in Balsami locis nati (quandò omnium cùm priscorum, tùm hujus ętatis scriptis firmissime constet, Ægyptum Balsami plantas aluisse) quàm facilè potuerunt has plantas vidisse, ac verè agnovisse, à quibus cum constet Ægyptum has ex Arabia habuisse, cur amplius dubitabimus Arabiam esse patrium Balsami solum? quę res apud Aegyptios & Arabes demonstratione nulla opus habet, cum hi omnes certò sciant non modò superiori, sed pręsenti quoque ętate Balsami innumeras plantas in Arabia adductas vivere, atque omnes, quas hactenus Aegyptus habuit, exindè exportatas & sępesępiùs eo modo renovatas fuisse. Apud me itaq; amplius dubium non erit, Dioscoridem, atque alios Balsamum solo Aegypto, ac Iudeę concessum olim fuisse asserentes, plurimum deceptos, idque ex aliorum relatione magis, quàm ex vera scientia, litteris prodidisse. Sed tu tamen ne obliviscaris jam propositam peregrinorum Aegyptiorum historiam, nunc recensere: quę mihi gratissima erit.

ALPIN. In Arabia fœlici civitas est primaria Meccha dicta, quę est ad mare rubrum sita: ab ipsaque altera Medina vocata, distat itinere octo dierum, in qua est sepulcrum Mahemetis ipsorum Pseudoprophetæ. ad quod singulis annis ex Aegypto duodecim vel quindecim millia peregrinorum se conferunt, sacrificaturi, & holocaustum oblaturi. His pręficitur Dux quidam, qui trecentorum militum pręsidio illos

G 2 omnes

omnes peregrinos Meccham, Medinamque conducat, & mox Cayrum reducat incolumes ab injuriis Arabum, qui non rarò in his desertis, eos invadunt, & occidunt, ac deprædantur. Vivunt enim Arabes hi rapina victum quæritantes, suntque ferocissimi, atque audacissimi, habentque equos velocissimos, quibus utantur, legeque sancitum etjam habent, ut alicubi nunquam consistere queant, sed continuò equitent, degentes sub tentoriis. Peregrini itaque duce illo, quem Hamirag appellant, recta Meccham pergunt, dei ndè redeuntes proficiscuntur ad sepulchrum Medinæ, quod iter perficiunt diebus quadraginta: Medinæ & Mecchę per alios viginti morantur. Turcarum Rex Medinam mittit duos præfectos, quorum alter sacris præest, & alter prophanis & militibus. Mecchæ verò, quæ Turcarum imperio non omninò obedit, præest quidam Arabum princeps, quem Seriph appellant, hoc nomine vocant omnes, qui à Mahemet oriundi sunt, & se illius cognatos scripto ostendunt. Habet hic princeps equitum armatorum decem millia, & viginti quoque millia peditum: quibus timens à Turca sibi hac itineris occasione insidias fieri, statim cum audit peregrinos ad sua loca appropinquare, recedit à Meccha & in montes se recepit, ubi usque dùm abierint peregrini, moratur, quibus quotidiè minatur, nisi discedant post viginti dies, se aquas intercepturum, quandò aquæ omnes defluunt ex montibus. Mittit Rex Turcarum huic Seriph munera hæc, quippè chlamydem auratam, eiusque filiis & fratribus centum & quinquaginta millia aureorum singulis annis, pro quibus muneribus ipse Regi Turcarum dono mittit quadringentas petias lineas Indicas subtilissimas, cujusmodi esse byssum, de quo meminere sacræ litteræ, existimari potest. Ampliùs cum eo

byſso

bisso mittit etjam Regi opobalsami tres quatuorve libras, & præfecto Cayri libram, atque Hamirag peregrinorum semilibram. Sunt etjam alii duo duces sive Hamirag cum multis peregrinis, scilicet alter è Damasco, & alter ex Arabiæ fœlicis locis, Meccham & Medinam visitatum venientes, quibus omnibus donat parum opobalsami. Postquam omnes Ægypti, Damasci, Arabiæque peregrini Meccha discedunt, ad montem quendam proficiscuntur, quem appellant Arafat, ad cujus radicem est locus, quem Maure vocant, ubi sacrificant in memoriam sacrificii, quod fecit Abraham, credentes, illum esse locum sacrificii. In medio verò itinere, quod redeundo conficitur, mons est arenosus, in quo multas balsami plantas vivere affirmant, quas miraculo Mahemetis in sterili illo monte natas affirmant. Cęterùm ne ex hac historia dubites, tantum opobalsami habere Seriph, scito, ibi à Seriph opobalsamum solere locari, solvuntque, ut audio, aliquot millia aureorum in singulis annis: & qui habent ab ipso conductum, quibus volunt, vendunt opobalsamum, atque hæc est historia de peregrinorum ad eas urbes itinere, ut ex ea etjam scias undè ad Turcas tantum opobalsami accedat, atque ut etjam tuam hac de re retineas sententiam, quippè Arabiam fœlicem esse proprium balsami solum, Aegyptum verò peregrinum. GVILAND. Quàm gratissimum mihi fuit, ex te diligentem peregrinorum Aegyptiorum peregrinationis historiam audivisse, nec non ex Arabia solum Regem Turcarum opobalsamum habere: nunc verò illiùs planta est à te describenda. ALPIN. Balsamum arbusculum est viticosum, quod crescit ad altitudinem Elhanne, seu Ligustri vel Cythisi, folia paucissima gerēs rutæ proxima, non tamen, ut dicebat Dioscorides, iis candidiora, sed potius lentisci foliis

liis similia cernuntur, scilicet colore viridi, subalbido, perpetuoque virentia. Ejus lignum gummosum, leveque apparet, colore exterius subrubro, cujus ramuli eodem colore conspicui sunt, longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti, foliaque simul terna, aut quina, aut septena alæ adnata aliquo pacto lentisci foliorum æmula. Sunt ramuli odorati, gummosi, digitisque contrectati eis tenaciter adhęrentes. Flores fert parvos albos Acatiæ floribus proximos, ternos singulis alis appensos, quasi in umbellæ forma; summè odoratos, odor paululo temporis resolvitur; à quibus semina promanant flava folliculis nigris subrubescentibus contenta, valdè odorata, intusque humorem flavum melli persimilem habentia, sapore subamaro parumque acri linguam ferientia opobalsamumque redolentia, terebinthi fructuum figurę & magnitudinis ęmula; extrema aculeata & medium crassum obtinentia. opobalsamum ęstate à scarificato cortice caudicis distillat, statimque eductum colore albescit, & postea in viridem, tertiò in aureum, atque demum in melleum mutatur. Stillatum etjam est clarum, quod mox turbatur, crassescit, & tertiò tenuissimum atque clarissimum fit, tandemque senio confectum, ut terebinthina crassescit. olet in principio recentissimè distillatum acutissimo atq; eximio odore, quod multis capitis dolorē concitare solet, & aliquibus etjam sanguinem ex naribus promovere. odoris verò illa acuties ac vehementia ac in Zebet fit, tempore obtunditur, & gratior evadit, senio verò confectum vix sentitur in eo aliquis odor, & ob id Dioscorides dixerat inutile esse antiquum. Est etjam in principio levissimum, & dilui facillimum, ita ut si in aqua vel lacte ex alto distillet, in imum vasis residere non patiatur. clarum verò aureumque redditum, ac ab omni fece pur-

ga-

gatissimum mediocri levitate praeditum est, ita ut instillatum in aqua, etsi fundum petat, tamen citò rursum in superficiẽ aquae feratur, cum eaque citò resolvatur. quae omnia quò annosius, eò obscurius habet. Hincque meritò dicebat Dioscorides, optimum Balsami succum esse recentem, validi odoris, syncerum, non ad acorem vergens, dilui facilem levem, adstringentem, ac modicè mordentem gustum. GVILAND. Dubium in colore natum est, cum tu dixeris in primis opobalsamum statim eductum colore albescere, atq; hunc colorem brevi tempore in viridem oleosum mutari, & mox in aureum, & tandem in melleum, & Dioscorides, quẽ tu haud negabis verum opobalsamum inspexisse, dixerit ipsũ colore lactescere. ALPIN. Succum Balsami in aqua instillatum & liquatum colorem lactis accipere Dioscorides scriptũ reliquit. quod verissimum est. quinimò hoc est signum inseparabile proprium, quod fideliùs ostendit verum succum balsami ab aliis vitiatis pro opobalsamo à multis receptis. Multa de opobalsami synceri & adulterati notis, essent à nobis dicenda, non minusque de carpobalsamo, & xylobalsamo, de quibus medicamentis dubii sunt ferè omnes recentiores Medici, sed quia aliàs de his omnibus fusissimè à nobis in Dialogo de Balsamo scriptum est, quę omnia cum te jampridem legisse & considerasse, certò sciam, nolo tempus ampliùs in iis consumere, sed sermonem nostrum ad alia traducere, proindè qui absolutam ac perfectam plantae, succi, fructuum, & virgarum rationem audire, ac agnoscere cupiunt, Dialogum illum legere non graventur, ad quem te quoque pro aliis quae de Balsamo superessent, dicenda, remitto, Balsami plãtam apud me viventem verissimam Iacobus Contarenus Senator Clariss. Ioannes Vothus nobilis Anglus, Fran.

Ferre-

Ferrerius Gallus, Ioachimus Iungermanus Germanus, Marcus Fenarius Venetus pharmacopola & plures alii viderunt, verumque etjam opobalſamum ab ejus foliorum alis diſſectis inſtillaviſſe. quod multis maximè mirum fuit, cùm aliàs Italiam hanc plantam habuiſſe, nuſquam appareat. uſus tamen in medicina, quos apud Aegyptios habeat opobalſamũ carpobalſamum & xylobalſamum, tibi quoque detegere, ac referre nunc conabor. ab opobalſami dotis deſumpto principio. GVILAND. Gal. paucos uſus Balſami in medicina hinc noviſse putandum erit, quod ipſe in lib 6. de ſimpl. med. facult. omnium ſimplicium medicamentorum uſus copiosè docendo, de Balſamo nihil ad hanc rem protulerit, ut ex ejus his verbis conſtat: Balſamum deſiccat & excalefacit
„ ſecundo exceſſu. eſt autem tenuium partium adeò, ut odo-
„ ratum ſit. Sed liquor ejus ſubtiliorum etjam partium eſt,
„ quàm ipſa planta, non tamen adeò calidus, ut quidam exi-
„ ſtimant, tenuitate partium falſi. Porrò fructus ejus perſimi-
„ lis genere facultatis eſt, cęterùm longè in ſubtilitate partium
„ inferior. Sed age tu dic uſus illius apud Aegyptios frequentatos. ALPIN. Nullum certè ibi eſt medicamentum, quo magis, ac frequentiùs gens illa medendo utatur, quàm opobalſamum, quod quidem illi ferè ad omnes morbos, ac ſymptomata adhibent ad eoſque maximè, qui vel ex ſimplici temperie frigida & humida, vel à frigidis humidiſque ſuccis, vel à venenis, concitantur. Summa cum laude eo utuntur ad omnia vulnera, quo mirificè curantur. quod ego experientia in Petro Mariano Veneto mercatore, in capite à Turcis nocte quapiam uſque ad os peſſimè lignis vulnerato, didici: Balſamo ſiquidem inuncta ea vulnera per diem tantum, ferè omninò coaluerunt, & eo quàm pauciſsimis diebus, ut is te-

ſtis

ſtis eſſe poteſt, perfectè ſanatus eſt: utuntur etjam ipſo ad ulcera ſordida, quæ eo mundantur, atque ſanantur. In venenatis, & demorſis à ſerpentibus, atque ictis à Scorpionibus tùm epotum, tùm illitum maximè juvat. In peſte, ut ab ejus contagio defendantur, nihil majus habent, quo utiliùs & tutiùs utantur, ſingulis diebus ejus ſemidragmam deglutientes. Multaſque etjam putridas febres eo epoto illi ſanant, largiori ab ipſo erumpente ſudore. In chronicis febribus à crudis frigidiſque humoribus, obſtructionibuſque viſcerum, nihil utilius ac præſtantius experiuntur, quàm opobalſami binos ſcrupulos, vel dragmam per os quotidiè exhibere: liberat enim valenter viſcera ab obſtructionibus, caloremque naturalem fovendo crudos humores concoquit, ac digerit. Hincque ejus uſus ad omnes frigidos morbos, ac ſymptomata, apud eos eſt frequentiſſimus. Oculis viſum deperditum, atque auribus auditum inſtillatum reſtituit, auriumque dolores ſanat præterea ad convulſos ex humiditate ac frigiditate, ad vertiginoſos, epilepticos, reſolutos, trementes, ad tuſſimque ex frigido humore, orthopnæam, & omnem ſpirandi difficultatem, pulmonum fluxiones, humiditates, & dolores, ad ſtomachique frigiditatem, cruditates, atque ad omnes flatuum moleſtias, ad uteri frigidam humidamque intemperiem, ad præfocationes, dolores, ſterilitatem, albos fluores, ad interceptam urinam ex frigiditate, flatu, vel lapidibus, ad calculoſque in renibus valenter frangendos, ac abſtergendos, uſus opobalſami eſt apud omnes illos populos notiſſimus, & ad hæc omnia mala præſtantiſſimum illi auxilium experiuntur. Mulieres verò Aegyptiæ ſteriles eo tùm epoto tùm ſuppoſito, tùm ſuffito fœliciori ſucceſſu ſæpè ad removendam ſterilitatem utuntur. Non minori in uſu etjam ha-

H bent,

bent,ad pulchram faciem efficiendam, quandò eo ipſa illita à rugis defendatur. audio etjam aliquas eo ad conſervandã faciei pulchritudinem ac juventutem non inutiliter uſas fuiſſe. GVILAND. Sed quomodo hæ illo ad conſervandam juventutem utuntur? hic enim uſus quam quam in ore multorum ſit,nihilominus à nullo id diſcere potui. ALPIN. Vt mulieres faciei cutem,dum juvenes ſunt,perpetuò conſervare poſſint, opobalſami uſum in hunc modum ſequuntur. Balſamanda enim mulier (ut ſic loquar) in balneum calidum in primis moratur quouſque multum incaluerit, quo tempore cutem opobalſamo multoties copioſe illinit. à qua linitione per horam & amplius in balneo valdè calido, quouſque recte cutis opobalſamo imbibatur & areſcat, morata, balneum egreditur, ſolitaque munia exercet, permanetque ſic, facie atque pectore opobalſamo inuncta per tres ad minus dies, in quibus nunquam perunctam cutim abluit, vel mundat: ac tertia die ab inunctione,rurſum in balneum eodem jam dicto modo ſe confert, faciemque ac pectus valdè calefactum copioſo opobalſamo multoties perungit: aliquæ ſunt, quæ vel decies una die cutem inungunt, obſervantes commodum intervallum, quo recte cutis peruncta totum opobalſamum imbibat, atq; paululum areſcat, ut promptius ſuccum intimiùs haurire queat. Quam opobalſami unctionem hoc modo præſtitam multoties moliuntur; ſaltem diebus triginta. In quibus cutem nunquam lavant,vel mundant à quibus quindecim & etjam amplius, ſic cute opobalſamo inuncta quieſcunt, quouſque nihil liquoris oſtendat, probeque ab eo ſiccata fuerit. quo tempore aqua fabarum ſtillatitia, prius ad eas partes præmiſſa modica olei amigdalarum amararum inunctione ſe lavant, cutemque multis diebus

abſter-

abstergunt. atque hæc de viribus opobalsami sint dicta. Seminum atque virgarum quoque recentium usus apud illos est familiaris. Eis siquidem ad omnia ferè, ad quæ opobalsamo, utuntur. præsertimque ad robur stomacho conciliandum. ejus enim pulverem cum decocto spicæ nardi, ad binas dragmas exhibent. idem præstat decoctum, quo maximè colorem naturalem fovent, augent, & roborant. utuntur & ipso in spirandi difficultate, tussi frigida, atque aliis morbis à frigiditate nascentibus. Vsum frequentissimum habet pulvis, & decoctum ad humiditates uteri exsiccandas, eiusque calorem vivificandum. suffitum ex his frequentant ad morbos omnes uteri à causa frigida concitatos. eodem modo & ligni usus est. Succus enim, semina, ac lignum iisdem facultatibus donata sunt, ad eademque usum habent. veruntamen opobalsamum efficaciùs potest, eoque minùs carpobalsamum, omniumque minimè xylobalsamum. at tempus est, ut finito hoc sermone, nos ad alias plantas narrandas transeamus. GVILAND. Istorum trium medicamentorum usus omnes etjam Dioscorides, Avicennas, atque alii multi præclarisimi Medici docuerant, ex quo mirum non est, si iis adhibitis ad multa mala, voti compotes Aegyptii fiunt. Sed de Calaf tempus est ut loquaris, priùs tamen Balsami vera visa ichone, quàm à Peruis Bei tuo familiari amico Turca Sangiach receptam, aliàs ex te audivi, atque ex tua vivente planta describere potuisti.

BALSAMVM AB ÆGYPTIIS BALESSAN.



De

De Calaf seu Ban. Cap. XV.

ALPINVS.

ARBVSCVLVM fruticosum in Ægypto reperitur, quod mea quidem sententia, Salicis genus existit, nasciturque in locis humidis, foliis aliquatenus Salici proximis, sed multo majoribus; quippè longioribus, ac latioribus. Floresque ejus sunt quidam globuli oblongi, albi, lanuginosi, caudici penè foliorum radices nascentes, quotque in arbore folia existunt, tot flores emittit. crescit arbusculum hoc ad viticis magnitudinem ramis multis, sive stolonibus rectis: ex floribus, ut audio distillant aquam macahalaf vocatam, quam insignes vires ad exsiccandam putredinem, atque ad venena, & cor recreandum habere, illi prædicant in Febribusque pestilentibus ipsa pro secreto auxilio apud illos habetur. Aquam etiam, in qua multi flores infusi aliquandiu manserint, vel in qua ebullierint, exhibent ad dolores capitis, atque ad virium recreationem, quam & ipsam validè putredini ac venenis obsistere experti sunt. estque ipsorum decoctum, ac infusio in aqua parata, ad quoscumque Febricitantes, apud illos in maximo usu.

CALAF, ET BAN.



De Bon. Cap. XVI.


ALPINVS.

ARBOREM vidi in viridario Halybei Turcæ, cujus tu ichonem nunc ſpectabis, ex qua ſemina illa ibi vulgatiſsima Bon, vel Ban appellata, producũtur: ex his omnes tùm Ægyptii, tùm Arabes parant decoctum vulgatiſsimum, quod vini loco ipſi potant, venditurque in publicis oenopoliis, non ſecusquàm apud nos vinum: illique ipſum vocant Caova. Hæc ſemina ex fœlici Arabia aſportantur. Arbor, quam me inſpexiſſe dixi, Evonomo ſimilis obſervata eſt, ſed tamen folia craſsiora, durioraque habebat, viridiora, perpetuoque virentia. Vſus eſt illorum ſeminum omnibus notiſſimus, ad parandum jam dictum decoctum, quod quo pacto ab illis paretur, aliàs à me dictum eſt. Vtuntur tamen ejus decocto ad roborandum ventriculum frigidiorem, adjuuandamque concoctionem, & non minùs ad auferendas à viſceribus obſtructiones; in tumoribuſque hepatis lieniſq; frigidis, & antiquis obſtructionibus, ſœliciori cum ſucceſſu decoctum multos dies experiuntur. Quod etjam uterum maximè reſpicere videtur, ipſum enim excalfacit, obſtructioneſq; ab eo aufert, ſic enim in familiari uſu eſt apud omnes Aegyptias, Arabaſque mulieres, ut ſemper, dum fluunt menſes, ipſorum vacuationem, hujus decocti ferventis multum paulatim ſorbillantes, adjuvent. ad promovendos etjam, in quibus ſuppreſsi ſunt, uſus hujus decocti, purgato corpore multis diebus, utiliſsimus eſt. GVILAND. Avicennas de his ſeminibus meminit, ſimileſque vel eoſdem uſus à te narratos

de

de his ſeminibus memoriæ prodidit. ipſumque ſemen calidum in tertio, & ſiccum in ſecundo gradu conſtituit, quod tamen verum non videtur, quandò ſemen ſapore dulceſcat, cum pauco amarore nullamque acrimoniam præſeferat. Nihilominus ipſum obſtructionibus viſcerum, frigidiſque tumoribus hepatis, vel lienis multum conferre docuit. Sed ait, ſtomacho nauſeam concitare, pituitamque purgare, atque multa alia hæc ſemina præſtare, experientia penes Aegyptios didici. atque hæc eſt arbor, quam Cayri olim inſpexeram.

BON.



De Bahobab. Cap. XVII.

ALPINVS.


BAHOBAB est fructus magnitudine mali citri, cucurbibitæ similis, intus semina nigra, dura, extremis in unum se miarcum quasi inclinantibus, & substantiam cucurbitarum, similem habent, quæ in recentibus est humida, rubra, sapore acido non ingrato; Fructus recenter ab arbore excisus, gustui admodùm gratus est, in Æthiopię inflammatis locis, accido sapore, quem contemperant divites saccharo, sitim valenter exstinguit, multumque refrigerat. Ibi, ut audio, eo utuntur ad omnes calidos affectus, febresque omnes putridas, præcipueque ad pestilentes, tùm ejus pulpam cum saccharo comedentes, tùm succum exeressum cum saccharo potantes, vel ex eo paratum Syrupum accipientes. Cayri etjam, quo loco recens fructus non habetur, ejus pulpa in pulverem parata ii utuntur, quæ est terra Lemnia observatur: estque apud multos familiarissimus illiusce terræ usus ad pestiferas febres, tùm ad sputum sanguinis, ad lienterias, dysenteriam, cruentumque hepaticum fluorem, nec non ad uteri menses firmandos. alii ejusce terræ in subtilissimum pulverem redactæ dragmam cum aqua plantaginis dissolutam, ad eadem exhibent, alii decocto, alii infuso utentes. Arborem quæ hos fructus fert, vidi ego in quodam viridario, foliis magnitudine ac figura, aurанciis valdè similem.

BAO-

BAOBAB.



FRVCTVS BAOBAB.



De Gossipio arboreo, Gottne'l Ssegiar appellato. Cap. XVIII.

GVILANDINVS.

MVLTAM ne ibi gossipii copiam Aegyptii colligunt? Syria etenim, atque Cyprus hujus plurimam copiam producit. ALPIN. Gossipium Aegyptii ad ipsorum usum aliundè advehunt, neque enim apud ipsos herbacea illa planta, ex qua Syri, vel Cypri Gossipium colligunt, adnascitur, sed tantùm quæ arboreus frutex est, quæque in quibusdam tantum viridariis provenit, pluribus annis vivens, dissimilis ab herbacea tantum proceritate, caudicis, ramorum atque foliorum figura. Crescit autem ad decem usque cubitorum altitudinem, stipite, ramisque duris lignosis. GVIL. Quid audio? arboreum Gossipium ibi spectari? nova certè omnibus herbariis planta, nusquam hactenus visa, aut cognita. Sed dic quæso multæ ne ibi illius Gossypii plantæ nascuntur, ex quibus, queant usum illius usitatissimæ lanuginis explere? ALPIN. Paucæ, & non nisi in viridariis, Gossipii arbores illæ spectantur, quæ eandem, quam herbaceum, ferunt lanuginem: quæ (ob modicam penes ipsos quantitatem) in usu non est, sed aliundè advecta. Vtuntur Aegyptii, linearum petiarum loco, quibus nostri tantum utuntur; ad ulcera, vulneraque omnia sananda: quandò lineis petiis, apud nostros ad vulnera ulceraque frequentata, illi non utantur. adhibent & ipsa, uti nostri faciunt, ad fluentem sanguinem sistendum. Seminum quoque mucilaginis usus est frequentissimus ad omnes Febres exurentes, atque venena erosionem ventriculo, & intestinis infe-

inferentia. Ad tuſſientes ex acrium, ſalſorumq; humorum diſtillationibus, Goſsypii plurimus eſt apud eos uſus. In Arabia ex hac xylini lanugine telas illas tenuiſſimas (quas ſeſſa illi appellant, atque multis byſſum antiquorum eſſe perſuaſum eſt) parant, quæ utique ob pulchritudinem ab omnibus comendantur.

GOSSIPIVM ARBOREVM COTNEMSEGIAR.



De

De Sambac Arab. sive Gelsimino Arabico. Cap. XIX.

ALPINVS.

CAYRI est frutex sarmentosus, qui sarmentis serpendo altiùs se extollit, foliis mali aurancii proximis, flores albos, octonis foliis præditos, omninò similes vulgaribus Iesmini floribus, à quibus differunt numerosioribus foliis, magnitudine odoreque prævalidiori, ac suaviori. usus florum est magis ad ornatum corporis, quàm ad sanitatem. nihilominus parant oleum, quo utuntur mulieres in balneis ad uterum calefaciendum & laxandum, ejus enim scirrhosis tumoribus maximè conferre expertæ sunt, ut partum etjam faciliorem reddant, oleum hoc & bibunt calidum, & ipso liniunt extrinsecas uteri partes. Vtuntur quoque eo exterius inungentes thoracis regionem, tùm per os ipsum calidum bibentes, ad tussim, anhelitusque difficultatem, & ad pleuritim lethalem, in qua sputum maxima cum difficultate educitur, & ad peripneumoniam, atque ad dolores vehementes stomachi, intestinorum, atque uteri; Parant hoc nostri unguentarii ex dulcibus amygdalis atque vel sesami seminibus, ex quibus odore florum Iesmini imbutis oleum exprimunt valdè odoratum.

SAMBAC LESMIN ARABICVM.



De Phaseolo nigro Lablab vocato. *Cap. XX.*

ALPINVS.

EST arbor ſarmentoſa, quæ creſcit ad vitis magnitudinem, ſarmentiſque vitis modo extenditur, ac expanditur foliis, figuraque ſimilis eſt omninò vulgari Phaſeolo, flores fert bis in anno, vere, ac autumno, Phaſeolorum floribus aliquatenus ſimiles, à quibus ſiliquæ longæ, inſtarque fabarum latiſsimæ cernuntur, quæ ſemina nigra Phaſeolis planè ſimilia continent, quorum alia nigra, alia ſubrubra cernuntur. Hæc arbor vivit annos centum, & ampliùs perpetuoque viret. Aegyptii Phaſeolos illos in cibo frequentant, noſtriſque non minùs guſtui ſuaves exiſtunt. Mulieres utuntur decocto cum croco ad excitandos menſes. præterea utile eſt ad tuſsim, & diſpnæam, & ad urinam ſuppreſſam movendam.

PHA-

PHASEOLVS NIGER LABLAB.



De Phaseolo rubro, Abrus vocato. *Cap. XXI.*

ALPINVS.

EST etjam arbor fruticosa, sarmentosa, volubilis, atque Lablab modo serpens, ac altiùs se extollens, latiusque se expandens, foliis Derelside vel Tamirindi, planè similibus, sed longè minoribus: moventurque etjam non secus, quam de Tamarindi foliis dictum est, ad Solem: Occidente quippè Sole clauduntur, totaque clausa manent, quousque Sol denuò oriatur, quo tempore rursum aperiuntur. Flores audio ferre hanc arborem Phaseolis proximos, atque siliquas quæ intus habent semina parva, rotunda, rubra, dura, Phaseolis omninò similia: quæ quidem corrallorum uniones, quas collo puellæ gestare solent, omnibus planè videntur. Phaseolorum gustum & ipsa habent, quorum usus est ad cibum, iisque Aegyptii in jure elixis vesci consueverunt. Sunt verò cęteris omnibus difficiliora, ex quo stomacho maximè infesta sunt, flatusq; multos concitant, & hypochondriacis valdè noxia observantur, ægerrimeque in stomacho concoquuntur, & pravum succum etjam generant.

ABRVS.



De


De Mauz seu Musa. *Cap.* XXII.

ALPINVS.

MAVZ arbor apud Aegyptios vocata, crescit in multis locis Ægypti, præsertimque Damiatæ, olim Pelusii, ad mali punici magnitudinem, sed ramis caret; nam instar cannæ folia sua spargit, quæ sic longissima sunt, & latissima, ut sex, septemque cubitorum in quibusdam visa sit longitudo, & latitudo ferè duorum. ajunt multi insitam hanc plantam olim fuisse cannæ saccharinæ supra culcasiæ radicem, vereque imago utriusque in ea cernitur, longitudinem cannarum, & latitudinem culcasiæ in foliis adepta perpetuò viret, nunquam folia decidunt. Hæc planta fructus fert multos, parvis cucumeribus similes sed racematim multos appensos. Color ipsorum exterius aureus cernitur, corticesque suavissimum odorem, atque aromaticum spirant. substantiæ ipsorum cucumerorum persimilis aliquatenus existit, sed est tamen mollis, pinguis, lenta, dulcis, atque adprimè suanis, eam comedere assuetis, seminum, vel nucleorum expers. Stomachum gravat, difficulter concoquitur, multum nutrit, succumque crassum ac lentum generat, quo viscera obstruũtur, præsertimque hepar: est tamen auxilio tussientibus, suspiriosisque ex calore factis. ejusque decocto utiliter utuntur, ad tussim ex calidorum humorum destillatione genitam, atque ad pleuræ & pulmonum inflammationem, atque ad renes inflammatos, & ad eos, qui mingunt difficulter. ajunt etjam fructuum esum, vel decoctum assumptum, venerem augere. Fructuum cortices exsiccatos multam vim habere

ad

ad roboranda omnia viſcera illi adfirmant, cordique opem ferre ex ipſis paratum decoctum in aqua calaf. Vſuſq; hujus decocti ad febres peſtilentes apud eos dicitur valdè utilis: pulverem quoque ipſorum corticum in cordis paſsionibus cum aqua calaf diſſolutam epotant GVILAND. Planta hæc Theophraſto ſub nomine palmæ fuit nota, atque Serapioni, qui de ipſa ea, quæ ad hominum ſalutem ex te recitantur, eadem ferè dixerunt. Neminem verò novi, qui, quod tu nunc ex Ægyptiorum relatione prodidiſti, affirmarit, quippè hanc plantam è canna ſaccharum gignente, ſupra radicem culcaſsiæ inſitam eſſe: quamquam folia longitudine atque latitudine, utriuſque plantæ, foliorum imaginem referre videantur, de qua hæc ſufficiant.



MAVZ

MAVZ MVSA.



De

De Sesban. Cap. XXIII.

ALPINVS.

SESBAN ibi frutex eſt myrthi magnitudine, foliis ſecuridacæ, ſed longioribus & anguſtioribus, ramos habens herbaceos teneros. flores fert croceos, anagyridis perquam ſimiles, racematim multos ab ala vel ramulo pendentes, à quibus ſiliquæ longæ producuntur, fænugreco proximas, in quibus ſemina ſunt etjam ſeminibus fænugræci non parùm ſimilia. His fruticibus Aegyptii utuntur ad ſepes texendas pro agrorum diſtinctione. Semina hos in medicina uſus habere novi, etenim ajunt, humentem ſtomachum ſiccare, roborare, & ipſorum quoque uſum tùm in decocto tùm in pulvere affectant ad cohibendum quemcumque alvi fluxum, atque non minùs ad menſtruorum immoderata profluvia ſiſtenda, ex ipſis inſignem utilitatem experiuntur: & ut uno verbo dicam, in omnibus vacuationibus, firmandis illorum ſeminum uſum habent frequentiſſimum.

SESBAN.



De

De Sophera. Cap. XXIV.

ALPINVS.

SOPHERA est planta fruticosa cubitalis altitudinis, galegæ proxima, duris ramis, foliis myrthi, tenuioribus multis, utrinque ordinatim alæ appensis: flores fert croceos, cassiæ florum æmulos, inodoros; ex quibus siliquæ parvæ promanant, quatuor aut quinque semina habentes, Sesban planè similia. Ajunt semina esse venenum hominibus.

SOPHERA.




De Beid el ossar. Cap. XXV.

ALPINVS.

BEID EL OSSAR nascitur in humidis locis prope Alexandriam in ramo Nili Calig vocato, & Cayri in loco prope el Mattharia ferè perpetuò humido, ac ferè palustri, ex aqua Nili ibi diù manente. est planta herbacea, fruticosa, multis stolonibus ab radice rectis sursum ad duorum ferè cubitorum altitudinem se extollens, foliis latis oblongis, rotundis, ut Aloes folia, crassis, & candidis, ex quibus dissectis lac album manat. totaque planta lacte abundat. flores fert croceos ranunculi floribus proximos, à quibus loco fructuum duo testes invicem adligati pendent, satis hominis testibus persimiles, in quibus alba lanugo & semina parva, lata, lactucæ seminum æmula continentur. Foliis contusis, tùm crudis, tùm in aqua coctis utuntur emplastri modò in frigidis tumoribus, & doloribus. ex lanugine parant cubilia, quibus utuntur. Vtuntur etjam ea ad excipiendum ignem ex silice excussum, tanquam esca, ac pabulo. tota planta lacte calidisѕimo, ac exurenti scatet, quem plures in quibusdam vasis colligunt ad expilanda coria, ea siquidem in eo lacte si aliquo tempore maneant, pilis nudantur. Lac quoque siccatum prestantiùs corpora solvit, atque dysentericos fluxus etiam lethales facit. Est etjam prestantisѕimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures alias cutis infectiones sanandas, eo si inungantur partes.


BEI-

BEID EL OSSAR.



FRV-

FRVCTVS BEID EL OSSAR.



De Achaouan abiat, ideſt Artemiſia alba. *Cap. XXVI.*

ALPINVS.

NASCITVR Cayri in locis multis quędam planta fruticoſa, ramis denſa, quę trium cubitorum uſque ad altitudinem aſſurgit, foliis artemiſię intus nigris, atque extra candidis, tota planta lanuginoſa, ſeu hirſuta, floreſque fert umbellę modo, multos, aureos, ſenecioni proximos. qui tandem in pappum degenerant. flores, foliaque ſunt parum odorata, ſapore ſubdulci cum aliqua ſtipticitate. hanc volunt multi ipſorum eſſe Achaouam majorem ac albam, quippe Artemiſię ſpeciem, ex quo ipſi eam appellant Achaouam El chebit abiat; Quam plantam noſtri temporis herbarii alii cinerariam, alii Iacobęam marinam, vocant, Ægyptii ea ad multa utuntur, quippe decoctum ex foliis paratum ad renum, veſicęque calculos pollere ajunt, nec non ad ſanandas viſcerum antiquas obſtructiones, prędertimque ad uteri obſtructiones, frigiditatem, ſtrangulationem, ſterilitatem, inflationem, atque ad menſes interceptos revocandos, proindè paratis ex foliis, floribusque in aqua inf(ſionibus mulieres hyſtericę maximè juvantur. GVILAN. Nova quidem eſt planta. Antiquis incognita, niſi ſub Arthemiſię ſpecie quis ipſam reponat.

ACHA-

ACHAOVAN ABIAT.




De Bammia. Cap. XXVII.

ALPINVS.

BAMMIA eſt planta ad altheæ magnitudinem, foliis floribuſq; malvæ, aureis tamen, à quibus fructus fiunt, ſimiles quibuſdam parvulis cucumeribus, qui ſemina parva, ſubnigra, rotunda continent. quæ apud illam gentem ad cibos in uſu exiſtunt. ex quibus ſeminibus non ſecus quàm noſtri ex Phaſeolis, piſis, aliiſque leguminibus fercula parant. Frequentiſſimeque his ferculis veſcuntur plerumque in iure carnium paratis. folia, fructuſque frigidos eſſe, & humidos in primo gradu ajunt, habereque vim ipſos reſolventem, ac emollientem. proinde pectori ac pulmonibus convenire, ventrem emollire, atque lubricum reddere. fomenti vel emplaſtri modo folia appoſita inflammationes reſolvunt, dolores mitigant, tumores emolliunt, concoquunt, ac ad ſuppurationem ſuppurandos movent. Mulieres ad uteri duritiem, tum fomentis, tum emplaſtris, tum inſeſſionibus ex foliis ac fructibus procuratis, multa cum utilitate utuntur. in renum verò inflammatione, & calculis, ex iiſdem paratum decoctum per os cum ſaccharo candido ſumptum aliquibus diebus, pro ſelectiſſimo auxilio habent. ad ophtalmias etjam finita fluxione decoctum colyrii modo frequentant, atque cum eo fomentare latus dolentes in pleuriticis ſolent.

BAM-

BAMMIA.




De Melochia. Cap. XXVIII.

ALPINUS.

MELOCHIA est herba blito persimilis, folia tamen angustiora, longiora, acutioraq; habens, flores ejus sunt parvi, crocei, leucoris minoribus, e quibus semina parva, nigra melanthio proxima, in quædam obliqua cornua conclusa, producuntur. semina sunt in maximo apud eos usu ad omnes affectus, quibus semina Altheæ conducere compertum est. nam melochia facultate planè similis Altheæ videtur: proinde ad suppurandos vel concoquendos, resolvendos, atque emolliendos tumores duros, ejus maximus usus est: habet etjam majorem visciditatem ejus mucilago, quam Althea. In cibis nihil est ipsa Ægyptiis familiarius, vel gratius: decoquunt enim in aqua vel iure carnium, ut nos betam elixare solemus. Convivia carentia melochiæ ferculis ab his parum reputantur. cibus quidem illis populis melochia est familiarissimus, ex quo multi tamen malè se habent, nam parum nutrit, & succum viscidum gignit, ex quo in difficiles obstructiones viscerum, qui eam in cibo frequentant, incurrunt, nihilominus melochiam in cibis non omittunt, præcipueque viscosiorem mucilaginem facientem, avidè omnes esitant. Est tamen totius plantæ, vel maximè foliorum decoctum pectori amicum. ipsum enim humectat, ex quo siccis, asperisque tussibus præsentaneum cum saccharo candido est auxilium. atque ægrè spirantibus. Semina quoque pondere duarum drachmarum sumpta copiosissimè purgant omnes humores.

ME-

MELOCHIA.



De

De Zatarhendi. Cap. XXIX.

ALPINVS.

VOcant ii quãdam herbam Zatarhendi (quod ex India illuc comportetur) parum creſcentem, foliis craſsis, rotundis, ac albis, ſucco plenis, multum odoratis, quæ neque flores, neque fructus edit. quam multi, ut origanum, ſiccatam pro obſonio comedunt. Audio apud multos ad tuſsim, ſpirandique difficultatem, & ad prouocandam urinam, ac menſtruas purgationes in uſu eſſe.

ZATARHENDI.




De Pipere longo. *Cap.* XXX.

ALPINVS.


EST quædam herba in viridariis quibuſdam cuſtodita, iunci foliis, ſed craſsioribus, è quibus ſectis ſuccus quidam flavus manat, valdè acris, ac exurens, totaque planta eſt calida in quarto gradu, magis quàm Piper exurens. Ea utuntur emplaſtri modo appoſita, ad coxendicis dolorem, nec non ad frigidos articulorum dolores. corrigunt verò nimium ejus calorem oleo roſaceo, vel myrthino.

FELFEL TAVIL.



De Absus. Cap. XXXI.

ABSVS.



ALPINVS.

EST etjam quædam herbula crescens palmi magnitudine, vel aliquantò major, foliis trifolii, sed rotundioribus, quaternis singulæ alæ appensis. Flores parvos, albos, & semina pyri seminibus proxima ferens. quam Ægyptii Absus vocant.

De Sesamo seu Sempsen. *Cap.* XXXII.


ALPINVS.

SEMPSEM, à nostris Sesamum, planta est unius caulis, recti, se ad unius cubiti altitudinem extollens, foliis densis ordinatis totum caulem vestientibus, solatro proximis, floribus albis parvis, à quibus siliquæ producuntur quadricostatæ, parvæ, semina flava, lini similia continent quæ gustui dulcia existunt. ex quibus oleū, quod Zeid taib appellant illi, quod ad cibos in frequentissimo usu est, majorique pretio, quàm olivarum oleum ibi venditur. Folia, semina, & oleum ferè ejusdem facultatis esse experiuntur, quippè calidæ temperatæ, atque humidæ ad secundum gradum accedentis, resolventis, & emollientis. Plantæ decocto utuntur ad ophtalmias resolvendas, fomenti modo oculis adhibito. atque ad tussim, anhelitusque difficultatem, pleuritidem, peripneumoniam, & tumores duros scirrhosos; mulieres pro uteri duritie insessiones, ex planta, seminibusque cum modico mellis paratas frequentant: eodem ad cutis vitia utuntur, quippe ad furfures capitis, livoresque faciei, & nigrores ex sanguine, congelato exortos, calido fomenti modo sæpè apposito. ex planta & seminibus in aqua concoctis cum modico mellis emplastra ad tumores scirrhosos, atque ad exsiccatos nervos parant, quibus utiliter semper uti solent: quæ etjam ad combustas partes utiliter frequentant, non minusquam ad calidas inflammationes resolvendas, vel suppurandas. decoctum etjam inclysteribus ad colicos dolores, & ad emolliendam alvum affectant. Mulieres ad movendas menstruas purgationes, decoctum ac infusum in aqua paratum pro secreto auxilio habent. neque sua spe hæ, quibus præcrassitie

san-

ſanguinis, venarumque uteri obſtructione menſes non veniunt,fruſtrātur. Seminis ad cibum uſus eſt antiquatus apud omnes Aegypti accolas, pauci tamen eſt nutrimenti, ſed alimentum unctuoſum ac craſſum præbet. ex quo, quamobrē ipſorum frequenti eſu mulieres impingueſcant, facile deprehenditur. quæ verò ipſarum corpora pinguefieri cupiant, ſemina à cortice mundata comedūt plus pinguefacit oleum ex ſeminibus expreſſum,omniumque maxime fex olei tachine ab illis vocata. Oleum fæcemque ejus bibere, adhoc ut impingueſcant, mulieres in balneis familiariſsimum habent. Oleo etjam ad multa alia Ægyptii uti conſueverunt, quippè ad cutis puſtulas, aſperitatem, ac omnem deſœdationem ex humore melancholico concitatam, tum epoto, tum in cibis frequentato, vel ipſo affectis partibus inunctis. Secretum apud quoſdam auxilium eſt,ad cutis pruritus abolendos,ejus quatuor uncias multis diebus bibendam exhiberi. eo etjam ii ut untur, ad anhelitus difficultatem, pleuritim deſperatam, in qua nihil exſpuunt ægroti,atque ad peripneumoniam.nec non ad movendos menſes, atque ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum, uterique dolorum cruciatus demulcendos,intus,extraque præſtito.GVILAND.tibi gratias multas habeo, qui mihi hujuſce plantæ tot tantaſque utilitates medicas ab ea gente compertas dixeris, quas dignas auribus noſtrorum quoque medicorum cenſeo, quandò non ſolis Ægyptiis hæc manifeſta fuerint, ſed multi alii præclariſsimi Medici eadem ferè in poſterum memoriæ prodiderint, ut eſt Raſis, Avicenas Haly, Serapio, atque alii. Sed nunc reſtat,ut plantæ ichonem ſpectemus,& an ea ſit, quam aliqui pinxerunt,qui in illa dubii ex Theophraſti lectione decepti videntur. hanc plantam Sempſem appellant.

SEMPSEM SESAMVM.




De

De Culcas sive colocasia. *Cap. XXXIII.*

ALPINVS.

NVLLA planta Aegyptiis colocaſsia, quam illi Culcas vocant, eſt magis nota, neque magis in uſu, quandò omnes radices hujus plantæ in jure coctas, atque aliis multis modis in cibis paratas aſsiduè eſitent. Non ſecuſquàm noſtri rapas. agri colocaſsiis pleni ibi ſpectantur, atque quod mirabilius videtur, nemo illorum aliquam ipſarum plantarum floribus, vel fructibus uſquam præditam vidit Ego ex innumeris illis viventibus à me ſæpè inſpectis, nullam unquam florentem videre aut cum aliquo fructu, vel aliquo caule, potui. Ex quo dubitandum videretur, eam plantam eſſe Græcorum fabam Ægyptiam. planta hæc ibi ſpectatur foliis nenupharis, longioribus, ari proximis, ſine caule, flore, atque fructu: ejus radix magna, craſſa chinæ radicibus ſimilis cernitur, ſapore ſubamaro acri cum aliqua viſcoſitate, quæ cocta dulceſcit. quotidiè paſsim toto anni tempore per urbem innumeræ radices venduntur, viliori pretio. Hinc ſanè multum ſemper miratus ſum, Dioſcoridem, Aegyptiam fabam flores, atque fructus ferre, & eam item colocaſsiam eſſe prodidiſſe. Quam plantam quoque eo nomine Aegyptii nominant, quippè culcas. Quam nuſquàm floruiſſe, nullumque fructum dediſſe neque vidi, neque aliquem vidiſſe unquam audivi: cujus litem relinquo aliis libentiſsimè dirimendam. Eam tùm crudam, tùm coctam libentiſsimè Veneri indulgentes mandunt, tùm quia putant ſemen multum gignere, tùm libidinem prevalidè movere.

CVLCAS FABA ÆGYPTIA.



De

De Loto Ægyptio Nuphar vocata. Cap. XXXIIII.

ALPINVS.

PROXIMO de Colocaſsia cognito errore, hic alius à nobis de Loto Ægyptio animadvertitur, quandò hæc planta planè eadem ſit, quam noſtri nympheam, atque Arabes Nuphar appellant. In toto quidem flumine Nilo Ægyptia loca lambente nulla alia planta eſt inventa quæ notas loti præſeferat, quàm nymphea ipſa, quæ profectò plantæ ſimilis eſt, ut de Loto affirmat Dioſcorides, Colocaſsiæ, ſeu Fabæ Aegyptiæ, floremque fert album (loquor de majori nymphea) lilio valdè ſimilem, quam clariùs expreſsit Theophraſtus, qui dixit. & flos candidus, liliis foliorum anguſtia proximus; verè enim hic majoris nympheę flos eſt, qui Sole occidente clauditur, atque ſub aqua occultatur, atque Oriente ſupra aquam aſſurgit, & foras exit, aperiturque. Quod non modo in Ægypto, verum in multis Italię locis in hac planta obſervatur, maximeque in locis omnibus circum Venetias lacunoſis vel paluſtribus. Valles ſiquidem Margherę, ac Meſtri plurimas has plantas ferunt, in quibus quiſque quod à Theophraſto, Dioſcoride, atque aliis multis de Loto dicitur, planè obſervari poteſt. Et quid? nonne etjam ex flore caput producitur, papaverorum capitibus valdè ſimile? in quo ſemina multa minuta, qualia verè milii exiſtunt, continentur, radixque craſſa eſt? Non poſſum non vehementer admirari Theophraſtum, Dioſcoridemque, atque alios, qui omnes à nymphea, diſtinctiſsimis capitibus lotum Ægyptiũ ſejunxerint, quando utraque unum atque idem planè ſit, & mi-

mirandę ad Solem conversiones de Loto celebratę eędem sint, quę in communi nymphea ab omnibus animadvertitur. Ipsa enim occidente Sole florem claudit, deindè tota cum foliis sub aqua occultatur, eoque oriente, florem primò extra aquam demittit, aperit, atque paulò post cum omnibus foliis supra ipsam assurgit. Aegyptii caules crudos cum suis capitibus per ęstatis calores mandunt: subdulces enim sunt, atque humidi, admodumque refrigerant & humectant, quos appellant Razelnil. GVILAND. Miror equidem non parum Plinii diligentiam, qui hęc scripserit. Mirum est quod pręter hęc traditur. Sole occidente, papavera ea comprimi, & integi foliis. Ad ortum autem aperiri donec maturescant, flosque, qui est candidus, decidat. Hoc amplius in Euphrate tradunt, & scapum ipsum, & florem vespera mergi usque in medias noctes, totumque abire in altum, ut ne dimissa quidem manu, posit inveniri. Verti deindè, paulatimque subrigi, & ad exortum Solis emergere extra aquam ac florem patefacere, atque etjamnum exsurgere ut planè ab aqua absit altè. quandò in communi, ut tu dixti, nymphea penè locum Marghera appellatum, in stagnantibus aquis dulcibus, isthęc omnia planè observentur, atque propè Mestrim civitatem in omnibus illis convallibus. At Nympheę vel Loti Aegyptii medicos usus populis cognitos nunc prodeas. ALPIN. Vtuntur floribus & foliis contusis ad omnes calidas inflammationes, atque etjam succo, pręsertimque ad demulcendos dolores, à calida causa obortos, lacte atque oleo rosaceo misto, eodemque itidem modo oleo, quod ex floribus parant ad calidos dolores, inflammationes, exustiones, ulcera, & dolores capitis in febricitantibus, vigiliis, tùm exterius folia contusa applicant, tùm ejus succo cum oleo &

Lib. 3 ca. 17. & 18.

acceto

aceto frontem & tempora, illiniunt. ad conciliandum somnum syrupum ex eo paratum frequentant, atque tùm seminum, tùm radicis pulverem ægrotis cum ejus decocto exhibent. Vsus radicis, seminumque secreti loco habetur apud multos, ad Gonorrhæam, & in mulieribus ad album profluvium firmandum, & ad Dysenteriam. Multi verò ab hujus plantæ usu cavent, ejus loco alia sequentes, eò timore ne eis coeundi tùm desiderium, tùm vires minuantur. apud eos etenim omnes compertum est usum seminum, atque radicis homines reddere ad Venerem valdè frigidos, ac tardos. Hinc usum hunc multos ibi sanctos Heremitas sequi audio, ut faciliùs vitam cælibem ducere queant. Sed jam ad papyrum sermo à nobis convertendus est, quandò hæc planta quoque in Nilo flumine nascatur. Verùm quoniam omnia de hac planta tùm ad cognitionem, tùm ad usum pertinentia te in Plinii capitis de papyro commentario (quod papyrum vocasti) planè prosecutum fuisse scio, paucis de ea mihi nunc agendum puto.

De Stratiote, Hai alem maovi vocato. *Cap. XXV.*

ALPINVS.

PELVSIVM nunc Damiata vocata, civitas in Agypti humiliori ſolo poſita eſt. quo fit, ut Nilo flumine ad eam perlabente (quod penè ipſam ſpacio quinque millia paſſuum in mare mediterraneum evomit) largiùs ejus ſolùm inundatur, & ad libitum irrigatur. Hincque multa lætiora atque amœniſſima, quàm in toto Aegypto reperiantur propè hanc urbem, viridaria caſſiis, limonibus, muſis, vitibus conſita, atque inter ſe more Italico foſſis (quæ alibi in toto Aegypto nuſquam reperiuntur) aqua fluminis decurrente plenis, diſtincta ſpectantur. In illis itaque foſſis quæpiam herba copiosè provenit, aquæ lenticulæ paluſtris modo ſupernatans, ſine caule, foliis Cynogloſsi, brevioribus, latioribus, denſioribus, durioribus, hirſutioribuſque ac albidioribus, à quibus pro radicibus exigua ac rara quædam lanugo pendet. Quæ planta majori ſedo, vel ſempervivo eſt ſimilis, Quam appellant Hay alem elmaovi, quaſi dixerint aquoſum ſedum. Nullo odore eſt referta, eo excepto, quem ab aqua accipit. ſapore tamen adſtringenti, ac ſicco linguam ferit, non ſecus quam acacia faciat. Ad eadem ipſa mala ii utuntur, quibus plantaginem conducere compertum eſt. Ex quo mulieres ruſticæ, quas Bedovi vocant, ad ſiſtendam ſanguinis eruptionem ex utero, atque aliis partibus, ejus decoctum, vel ſuccum, vel pulverem per os quotidiè ad drachmæ pondus ſumunt. Ruſtici quoque ad vulnera ſananda foliis contuſis ſuperpoſitis utuntur, mirificeque ea ſanant. eamque frigi-

dam


dam usque ad primum gradum, & siccam supra secundum illi esse arbitrantur. GVILAND. Hanc plantam verum esse Stratiotem antiquorum existimo, de qua Dioscorides hæc Lib.4 c.103 nobis prodiderat: Stratiotes in aquis nascens, aliquibus fluviatilis Stratiotes nuncupatur; Aegyptiis Tibus, Magis Aelurisanguis. Aquis supernatat, & sine radice vivit, undè cognomen traxit. Herba sempervivo similis, ni majora haberet folia. Ad eedemque mala, ad quæ ea Aegyptios nunc uti dixisti, præstare Dioscorides, etjam scribit. Itaque non Li.24 ca.18 erit dubitandum hanc herbam esse Stratiotē. Quod clariùs Plinius demonstrasse hisce verbis etjam visus est. Celebratur autem & à Græcis Stratiotis, sed ea in Aegypto tantum, & inundatione Nili nascitur, aizoo similis, ni majora haberet folia.

ALPIN. Verùm loqueris. Sed ad alia transeundum est.

HAYH ALEM ELMAOVI IDEST STRATIOTES.



STRATIOTES AVERSIS FOLIIS.



De

De Papyro Berd vocata. Cap. XXXVI.

ALPINVS.

PAPYRVS, quam Berd Aegyptii nominant, eſt planta fluminis Nili, binis aut pluribus caulibus rectiſsimis ſupra aquam ſex, ſeptemve cubitibus aſſurgens. Cauliumque in faſtigiis ſcapus inumeris capillamentis, longis, rectiſque contextus, cernitur. Foliis quoque conſtat multis rectis, enſiformis, tiphæ aliquatenus ſimilibus. triangularibus, ac mollibus. Chirurgi illorum medulla utuntur ad ulcerum ora dilatanda. Ex ſcapique combuſto cinere, recentia ulcera curant. qui etjam maligna augeri (ſi ſæpè aſpergatur) non ſinit. Ex ſcapis recentibus aquam diſtillant, ad oculorum ſuffuſiones, caligines, ac obſcuritates maximè proficuam.

PA-

PAPYRVS BVRDI.



De

De Cypero. Cap. XXXVII.

ALPINVS.

CYPERVS rotundus, quem Aegyptii vocant hodveg, in Nilo flumine, atque in pluribus Aegypti lacubus vel locis paluſtribus, copioſiſsimus provenit porraceis foliis, longioribus tamen atque exilioribus, cauleque cubitali, anguloſo, in cujus cacumine ſunt folia aliqua ſtellæ modo radiantia, è quibus ſpicæ aliquæ procedunt herbacei coloris ſemina continentes: radices nigræ, rotundę, magnæ, olivæ craſſitie ſpectantur, multęque uni radicis capillamento appenſæ ſimul cohęrentes, odoratę, atque acuti ſaporis. Hę calefaciunt, exſiccant ſine mordacitate, incidunt, attenuant, oraque venarum aperiunt. Apud Aegyptios maximos ad medicinam uſus habent, pręcipueque ad ulcera oris, & pudendorum ſananda familiariſsimum ipſarum tùm pulvis, tum combuſtarum cinis, eſt remedium. ex ipſis paratum decoctum vel pulvis ſtomachum, cerebrum pulmones, uterum, nervos articulos, aliquibus diebus ſumpta, plurimum calfacit, ſiccat, roboratque naturalem calorem: ex quo omnibus morbis à cerebri tùm frigida humidaque temperie, tùm frigidorum humorum diſtillatione concitatis, hę efficaciſsimum ſunt auxilium: non minuſque ſtomachi cruditatibus, humiditatibus, flatibus, anhelituſque difficultati, orthopnoeę, tuſsi nec non hyſtericis omnibus mulieribus ex frigido humidoque utero effectis, aliiſque morbis, ab iiſdem uteri cauſis obortis, & articulorum doloribus. Familiare ſatis remedium ad ſuppreſſos menſes eas eſſe ibi expertum eſt. nam menſes efficaciſsime revocant. Decocto ac pulvere ad frangendum tùm in renibus, tùm in veſica lapidem, ac ad provocandã urinam frequentiſsimè illi utuntur, quod etjã non minùs in omnibus chronicis febribus, ac aliis diuturnis morbis frequentant.

CYPERVS HODVEG.



De Chatè, Abdellavi, & batecha el mavi. Cap. XXXVIII.

ALPINVS.

IN usu habent Aegyptii genus quoddam cucumerorum Chatè vocatum. quæ planta à communi cucumere alia quidem re non differt, nisi magnitudine, colore, & mollitie, quandò Cucumis Aegyptia folia habeat minora, albiora, molliora, atque rotundiora, fructusque producit admodum à nostratibus differentes, quandò his longiores, viridiores sint, ac cortice plano molli, æquali spectentur. gustuique sint dulciores, atque concoctu faciliores. Horum usum corporibus in cibo ipsis tùm crudis, tùm coctis vescentibus, salubrem esse apud omnes eorum locorum incolas creditur. Medici aliqui ibi nonnullis febricitantibus crudos etjam mandendos concedunt, præsertimque pesti affectis, quibus cucumeres hos crudos esitatos summè conducere omnibus (nescio qua ratione) persuasum sit. Coctos in ardentibus febribus, utiles esse ratione confirmatur, quandò refrigerent, atque humectent In renum & vesicæ calidis morbis, cum lacte coctos cucumeres multis diebus non sine multa utilitate in cibo sequuntur. lac etjam ipsorum seminum pro iisdem malis per os sumere sæpè solent. ad oculorum verò, aliarumque partium calidas inflammationes pulpa contusa cucumerorum lacti mista utuntur. Et ad sedandos podagricos dolores à causa calida concitatos, succum lacte oleoque rosaceo mistum, partes liniendo, sequuntur. Stillatitiam aquā ad libram ad jecoris caliditatem corrigendam & ad sanandos

dos

dos renes tùm inflammatos, tùm à calculis vexatos multis diebus ægrotos bibere consulunt, quibus ipsam satis iis conferre experientia compertum est. sunt aliqui, qui ad hæc eadem mala aqua stillatitia lacti eorundem cucumerorum seminum mista, uti solent. ex Melonibus etjam quosdam à nostratibus planè diversos Aegyptii habent, quos Abdellavi vocant, ad differentiam aliorum, quos etjam Chajar nominant. quorum usus ad cibum haud multum jucundus percipitur, ceterisque omnibus insipidiores ac molliori pulpa observantur. Habent tamen semina, quæ aliis omnibus longè magis ad refrigerandum præstare putant. Qua de re, omnes ea plus aliis in usu frequentiori habent, aliorum melonum semina parvi facientes. Planta nostratibus non multum differt, sed fructus fert oblongos, acutos, extrema, & medium valdè crassum habentes, Bahobab nuper narratis fructibus proximos. *Habent* etjam Angurias à nostratibus non nisi magnitudine quoad aspectum differentes: nostris quidem majores, cortice flaviore, quæ intus semina tantum, & aquam dulcissimam continent. Quam ad sitim arcendam, caloremque multum in stomacho, vel hepate, vel renibus corrigendum largiùs epotant. Ad febres non minus ardentes, & tertianas, usus illiusce aquæ summoperè laudatur, atque ab his frequentatur. Sunt qui distillatione aquam tenuiorem ad siticulosos, stomachos biliosos, ad jecur renesque calidos, & à calculis vexatos, eliciunt. quam certè ii multæ utilitatis esse experiuntur. Turcæ Aegyptii, Arabesque lasciviorem vitam agentes, per æstatis summos calores, harum anguriarum aquam in potu frequentant, eique aliqui modicum aquæ rosaceæ, moschi, atque ambræ miscent His Advenas honorare consuetudo Aegyptiis est, eas scilicet edendas offeren-

ferentes. Illas per annum in paleis incorruptas conſervant: aliquandoque ſic cariori pretio ibi ad ægrotos venduntur, ut unam argenteo aureo venditam cognoverim. Sic verò ejus aqua diuretica eſt, ut ipſius uſum aſſidue ſequentibus, hernias, ad teſtes defluxa, incredibili magnitudine, facere ſoleat. hinc ibi plures hernioſos ſpectare licet.

CHATE.



ABDELAVI.



De

De Achaovan, seu parthenio inodoro. Cap. XXXIX.

ALPINVS.

ACHAOVAN, est planta herbacea camomelo proxima, quæ tamen non adeò alta extollitur, sed parum supra terram latiùs expanditur, foliis parthenii, minoribus ac densioribus, floribusque camomeli æmulis, Herba saporis odorisque expers percipitur, sed flores odorem gravem, perobscurumque spirant. Florum, foliorumque decoctum in usu habent ad tollendas viscerum obstructiones, præsertimque ad Ictericos. GVILAND Si sapor acutus in hac planta sentiretur, cotula Serapionis, sine dubio esset. ALPIN. Hæque plantæ existunt, quas Ægypti patrias esse observare potui.

ACHAO-

ACHAOVAN PARTHENIVM INODORVM.



PHA-

De Nejem el ſalib ſive gramine Crucis. Cap. XL.

ALPINVS.

GRAMEN quoddam naſcitur exile, radicibus ſerpens albis, geniculatis, dulcibus, cum aliquali acrimonia, communi gramini proximis, digiti altitudine, geniculati, ramulis aſſurgens, foliis communi gramini ſimilibus ſed minoribus, ramuli habent quatuor ſpicas, Iſchęmi, vel graminis ſanguinarii ſimiles, perfectam crucem figurantes, quam æquè omnes uno modo formant: ex quo ipſum Aegyptii nejem el ſalib, vocant quaſi dixerint, gramen crucis, in quibus fiunt ſemina minutiſſima ſeminibus communibus graminis ſimilia. Maximum uſum ſemina apud omnes habent ad eos ſcilicet, qui tùm renum, tùm veſicæ calculis laborant, atque ad frangendos lapides in veſica concretos. Quod genus morbi ibi eſt familiariſſimum, & quaſi endemium, ex cauſis aliàs narratis. Mulieres radicis decoctum tùm ad pueros variolis, atque morbillis correptos maximè ſequuntur, tùm ad ſeipſas, ubi cupiunt interceptas menſtruas purgationes rurſum evocare. Sunt aliqui, qui pro ſecreto auxilio habent decoctum, ex ſeminibus modice contuſis paratum, ad adjuvanda exanthemata in febribus peſtilentibus, quas peticulas noſtri appellant. Ad uſum quoque vulnerum & ulcerum, non parvum apud eos, tota herba, præcipuè radices, habent uſum. Aiunt radicem frigidam atque ſiccam eſſe, tenuiſſimarumque partium. Quamobrem non deſunt multi, qui ad movendum ſudorem ejus decocto familiariſſimè utuntur.

NEIEM EL SALIB.



De Meliloto Aegyptio Alchimelech vocato.
Cap. XLI.

ALPINVS.

MELILOTVS, quo Agyptii utuntur, femen minutum eft rotundum, fubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omninò expers, fapore ftiptico cum aliquo amarore. Planta, quæ ipfum producit, eft parva herba fupra terram

ex-

expanſa, modicè repens, ferè nihil, aut parùm in altum ſe attollens, foliis trifolii ſiliquoſi, minoribus tamen, floribuſque parvis multis, longis, racemi modo ordinatis, croceis, odoratis, à quibus promanant ſiliquæ, parvæ, obliquæ, ſemen quale dictum eſt, continentes Hujus plantæ ſemina tantum apud illos in uſu exiſtunt. Quæ putant ii quoad calorem & frigiditatem eſſe temperata, ſed ſiccare, reſolvere, ac ſtipticitate roborare, ex quo ad hepatis tumores ipſorum uſus apud illos eſt frequentiſſimus: quoniam ſine aliqua relaxatione digerit, & reſolvit. Ad omnes quoque dolores, quaſcumque corporis partes occupantes, fomentis ex ipſorum decocto utuntur, maximè ad pleuritim, peripneumoniam, & ad hepatis, coli, & ventriculi dolorem. quibus dolore vexatis, ipſorum decoctum ad libram bis in die calidum bibunt. Mulieres quoque uteri ſtrangulationibus, flatibus, ac doloribus eo ſubveniunt, præſertimque ex eo etjam inſeſſionibus paratis. quæ etjam fœnugreci, linique ſeminibus, paratæ, & camomeli floribus, efficatiùs ad illius, & aliarum partium duros tumores adminiſtrantur, atque ad evocandos menſes retentos. Ad roborandum ventriculum, & aperiendas obſtructiones venarum decocto ſummè proficuè utuntur. GVILAN Nunc ex te verum eſſe intelligo, apud Arabes Meliloti uſum eſſe ſeminum, quemadmodum Græci non ſemina, ſed flores in uſum admittunt An verò hæc planta verus ſit melilotus, aut potiùs ea, quam noſtri lotum urbanum, atque ſertulam campanam (quæ eſt planta, magna fruticoſa) appellant, aliis declaramus, huic enim diſputationi hic non videtur eſſe locus. Ego tamen hoc tantum dico, me libentiùs Aegyptiorum opinioni declinaturum. Sed Ichonem nunc apponito.

ALCHIMELECH, IDEST MELILOTVS.



De Kellù, Psyllio, Melanthio, Cappare, Vrtica, Solano somnifero, Coriandro, Ocymo, Hyosciamo albo, Conyza, nuce methela, Secamonè. Cap. XLII.


A L P I N V S.

PROPRIIS Aegypti à nobis hactenus cognitis plantis, nonnullæ communes pluribus aliis locis, priusquam hunc sermonem claudamus, prætermittendæ quidem non sunt; maximeque ex his, Kellù ab Aegyptiis vocata planta, à qui-

à quibusdam Antyllis, Psyllium, Melanthium, Capparis, Vrtica, Solanum somniferum, Coriādrum, Ocymus Goriophyllatus albus Hyosciamus, Conyza, Stramonium, Secamonè, de his ipsis igitur aliquid commentemur. GVIL. Aliquid te de his scitu dignum dicturum puto. proinde ut lubet loquere. ALPIN. Kellù, nostri quoque Kalli, plantæ tres utique in Aegypto species aluntur, ex quibus omnibus combustis cineres fiunt, ad vitra, saponem, & alia multa. prima species eadem est planta cum ea, quam nostri Kalli geniculatum, appellant Altera est, quam nonnulli album Kalli vocant, Tertiaque Aegyptiis magis propria, foliis constat paucis Ajugę foliis proximis, sed valdè longioribus, uno cauleque non omninò recto, à quo tres, quatuorve cauliculi exoriuntur, qui rectè sursum feruntur, quilibetque ipsorum in cacumine scapum quinque aut plus foliis chamepythios proximis, at deorsum in arcum recurvatis, inclinantibus conflatum, à cujus medio flosculi rosarum similes exsurgunt multi. Hæ omnes plantæ salsæ, atque acri sapore linguam feriunt. GVILAND. Sine dubio utræquæ hæ plantæ à te postremo descriptæ sub Anthyllidis secundæ genere reponendæ sunt. Dioscorides siquidem Ajugam docens sic scripsit: Herba in terra repens, incurva, foliis sempervivi minoris. multo tenuioribus, hirsutis & pinguioribus, circum ramos densis in capite verò de Antyllide ipsam Ajugæ foliis proximam esse statuit. Sed sequere reliqua enarrare. ALPIN. Ex his sanè tribus Sole in primis exsiccatis, & mox combustis cineres eæ parantur, quæ illinc Venetias convehuntur ad vitra, atque alia conficienda. Ajunt multi illorum folia trium harum plantarum, sed maximę secundæ atque tertiæ kalli, in pulverem redacta, per os sumpta phlegma atque bilem exustam purgare. Idemque ex foliis expressum succum facere.

KAL-

KALI.



KALI I.



KAL-

KALLI III.



Psyllium copiosissimè ibi provenit. Cujus seminum apud eos usus est, præsertimque mucilaginis ab ipsis paratæ cum aqua rosacea, in omnibus febribus biliosis, ardentibus, inflammationibusque pectoris, uti in Pleuritide & Peripneumonia. Sed extrahunt cum aqua hordei, & cum saccharo candido exhibent. In aqua rosacea extracta Psyllii mucilagine ii utuntur in biliosis Diarrhæis,& Dysenteriis. ad externasque omnes inflammationes, emplastri ac fomenti modo tum ex viridis plantæ foliis, tùm ex seminibus psyllii tota planta utuntur. Quam plantam vocant Chetùn. Nigella ibi etjam provenit, quoad flores pulcherrima, quando floribus majoribus, ac numerosioribus foliis præditis spectetur,ejusq; semen in usu est frequentissimo in pueris, ad necandos vermes, contusisque seminibus cum aceto emplastri modo ad plures cutis infectiones utuntur. Mulieres etjam, quæ non purgantur, eo si suffiantur, maximè juvantur, vocantque hanc plantam Suneg Cappares *Alexandriæ* majores quàm alibi inveniantur, proveniunt, quos cappar quoque appellant. ex quibus cortices radicum in usu habent frequentissimo ad vermes necandos, ad movendos menses, atque ad quoscunque tumores duros: præsertimque lienis sanandos, pro quo indurato membro,exhibent decoctum per os multis diebus, exteriùs ex corticis pulvere, & aceto facto emplastro, cui aliqui modicum mellis miscent, quo præsidio utuntur ad cutis maculas,& infectiones, eas linientes. Alexandriæ Vrtica prima, quam ii vocant Angiar, provenit copiosissimè, & proinde ejus semina multos usus ibi quoque habent, maximumque ad venerem excitandam, præsertimque in frigidis corporibus, si cum vino dulci bibantur. Nonnulli ad idem ex seminibus iis, radiceque buzeidam, ac melle componunt

R ele-

electuarium,cujus ſemuntiam quotidiè ſumunt. Vſum non minorem ſemina habent ad pectoris, pulmonumque vitia, ejus enim decocto cum melle parato in tuſsi, anhelitus difficultate, orthopnęa, & peripneumonia à craſſo frigidoque humore concitatis, familiariſsimè utuntur farina quoque cum melle eclegmatis modo ad eadem mala, cujus uſum cum aceto emplaſtri modo ad omnes difficiles cutis puſtulas ſequuntur, & ad omnes maculas cutis ejuſque infectiones, tumores duros non minus, pręſertimque ad parotidas. Mulieres nihil habent, quo valentiùs uterum calefaciant; mundent,atque ab obſtructionibus ſanent,quam urticam,ex quo admovendos menſes ſeminum decocti, atque ſuffiti uſus eſt apud ipſas frequentiſsimus, maximeque addita myrrha. Cinere ex ſeminibus parato, ad omnia ulcera maligna & canceroſa utuntur. Solanum ſomniferum in Alexandriæ ruderibus copioſiſsimè provenit, ſicque creſcit, ut magnus frutex appareat. Vtuntur incolæ radicum corticibus ad drachmā pulverizatis cum aqua lactucæ, vel ſolatri, ſumentes ad ſomnum conciliandum. Hujus plantæ cortex non ſecus per os quàm nux methel, ſive ſtramonii ſemina, apud plures malos homines, eſt in uſu, ut aliquid mali faciant clam dum dormiunt, hujus corticis in epulis ponunt. Foliis contuſis emplaſtri modo ad calidas inflammationes utuntur, atque illito ex ipſorum ſucco fronte, temporibus, ac aliis partibus corporis in quibus pulſus ſentiuntur, vel iiſdem contuſis emplaſtri modo appoſitis, ad ſomnum familiariſsimè utuntur. non minuſque ad exuſtiones. Nux etjam Methel ibi naſcitur, ſed non uſque adeò copioſa, uti ſolanum prædictum,eſtque verum Dioſcoridis ſtramonium. uſuſque planè eoſdem habere ii ajunt, quos de ſolano ſomnifero diximus. Adeſt quoque

hyoſcia-

hyoſciamus albus admodum à communi figura differens, naſciturque Cayri propè pyramides, foliis communis longè grandioribus, latioribus, craſsioribus, & albidioribus. Quo utuntur non ſecus quam ſtramonio. Vbi que verò in viridariis coriandrum provenit copioſiſsimum, quod omnes Cuſbarà appellant. Herbæque virentis uſus in cibo eſt apud omnes Aegyptios familiariſsimus. etenim ferculum non parant ſine foliis coriandri, quamquam ingratè oleat. GVIL. Quid audio? non ne ii ipſum mandentes maximè læduntur, & ab ejus uſu in phreneſim labuntur? quod Dioſcorides, Avicennas, tùm multi alii tradidere. ALPIN. Ridiculum. quis unquam vidit aliquem, coriandrorum cauſa (quæ in uſu apud quoſque tùm ſanos, tùm ægrotos familiariſsimo exiſtunt) læſum fuiſſe, aut ei aliquos ſenſus turbatos, niſi immoderatè eis fuerit uſus? Quid miraris? quaſi ejuſdem cum Galeno non ſis ſententiæ, qui coriandrum calidum, reſolvens ac modice adſtringens ſtatuit. non ne demonſtrat Dioſcorides vel hanc ejus facultatem fateri cum dixerit, chæradès coriandro cum comento ſanari? Quod nunquam à frigidis frigidi tumores diſcutiantur, ac curentur, cum medicamenta aliàs à Dioſcoride ad ſanandos duros tumores chęradaſque pręſertim memorię prodita, calida facultate fuerint. Neque videtur planè hoc ſiluiſſe Avicenas, cùm dixerit, chęradas coriandro ſanari, vel ex proprietate, quam ad illum ſanandum tumorem habet, vel ex partium ſubſtantię tenuitate, qua permeat profundè tumidam partem. Sed quis ignorat nihil à frigido reſolvi, etſi multa fiat permeatio partis tumefactę, ſed omnia reſolventia calida eſſe? GVILAND. Veram ſententiam rectè defendiſti, quam quis modo negabit, ſciens ex te Aegyptios virentem coriandri herbam in ci-

bo ſequi citra aliquam noxam? multo minùs ſeminum ſiccatorum uſus erit exinde timendus. Hincque erraſſe non parum Arabes liquidò conſtabit qui coriandro frigidam facultatem narcoticam, ſtuporem inducentem atque ſenſus turbationem concitantem, ac exitium tribuerit. Idemque & de pſyllio fuiſſe apud illos à te compertum eſt, quando pſyllium pro veneno à Dioſcoride, atque aliis receptum, innoxiè in febricitantibus frequenter nō modicam ęgrotis ſeminum mucaginem exhibeant. Herbam in aqua elixatam illi eſitant. Sed ea multo plus ſemina ad roborandum ſtomachum valere ii affirmant, debiles etenim ventriculos, uſu ſeminum aſsiduo maximè roborant, ejuſque calorem ipſa fovent, augent, flatuſque reſolvunt, ac diſcutiunt proindeque in colico dolore, atque aliis à flatulento ſpiritu concitatis uſum ſeminum ſequuntur: ipſis ſcilicet, vel in pulverem reductis, vel ex ipſis parato decocto, utentes. Quo uteri quoque frigiditatibus, & humiditatibus occurrunt. præſertimque ad menſes immodicè fluentes, & ad gonorrhæam firmandam, quod inſit illi quoquè facultas adſtringendi, ex quo puto apud eos plantam quoque emplaſtri modo, ad podagricos & alios articulorum dolores in maximo ibi eſſe uſu, quòd eas partes adſtrictione, ne humorem partes recipiant, roboret, atque etjam contentos reſolvat, diſcutiat, vel exprimat. Ocymus ibi in viridariis copioſiſſimus creſcit ad altitudinem trium & plus cubitorum, foliis noſtratis longioribus, tenuioribus, colore rubro ſuffuſis, odoremque eximium ſpirantibus. Suavitate enim odoris noſtris omnibus præferendus meritò videtur, ob quem illi hanc plantam Rihan appellarunt, quod idem eſt, ac ſi dixeris, odorem, ita, ut hic Ocymus præ odoris jucunditate eximia, odor per excellentiam ab iis vocetur.

Qua

Qua planta odoris causa ii utuntur; medicos verò usus apud eos ipsa paucos habet, qui ab aliis multis perdocti sunt. Nascitur etjam sponte ibi quædam planta repens, altius saliens, seque aliis arboribus convoluens, foliis duris longis, Seseli Æthiopici proximis, sed majoribus. Flores fert albos styracis similes, à quibus producuntur siliquæ, longæ ac crassæ, quales in rhododendro cernuntur, plenæ lanugine alba, ac seminibus parvis: ex hac planta succus, manat flavus, urens quem siccatum Aegyptii valenter tenues humores purgare, ajunt. Hanc illi esse Scammonii speciem affirmant, quam Secamonè appellant cujus tamen nullus usus in medicina apud eos novi. GVIL. Fortassè hanc plantam esse Apocynum Dioscoridis affirmare poterimus Cum illiusce notæ, notis à Dioscoride traditis convenire conspiciatur, aqua fortasse putanda, quam aliquis è Syria venisse, Periplocam vocatam, prodiderunt. At verum Apocynum nunc in Italia cognitum est.

SE-

SECAMONE.



Fænugræci germina mox è ſeminibus erumpentia? ex ipſiſque ſtatim proſilientia plebei comedunt, præſertimque mulieres, pinguefieri cupientes, per urbem multas maſsas terræ, plenas ſeminum recenter productis germinibus vendendas ii ferunt. Plures aliæ ſunt plantæ ibi naſcentes, quæ cum pluribus aliis locis communes exiſtant, non eſt de ipſis à nobis ampliùs ſermo proferendus. Sed jam de medicina apud illos populos uſitata, ſermonem, deque plantis illis in locis naſcentibus claudere debemus; cum nihil ſuperſit dicendum.

De plantis periter obſervatis. *Cap. XLIII.*

GVILANDINVS.

PLVRIMAS gratias tibi refero, quòd tantum laborem hactenus mea cauſa ſuſtuleris. Nihilominus ne aliquid omittamus, quod utile ad hanc hiſtoriam judicem, cuperem, antequàm nos huic ſermoni planè finem imponamus, ut de plantis etjam per iter olim in Aegyptum à te navigando variis in locis obſervatis, aliquid diceres. ALPIN. Non arbitror te ignorare, noſtro olim audito itinere, parum temporis mihi per iter illud conceſſum fuiſse, ad indagandas illorum locorum plantas: veruntamen, quas tunc viderim, quamquam neque tuis doctiſſimis auribus ſatis dignas eas exiſtimem, referre etjam nunc non recuſabo. Memini me Rhabarbari plantam Cocyræ inſpexiſse, in antiqui illiuſce propugnaculi quodam viridario, quam quidam ex Syria illùc navi advectam habuerat: quique ipſam à viro Perſa Trypolim olim fuiſse adductam etjam affirmabat. Quæ plan-

planta plane foliis rumici visa est proxima, quę tamen erant latiora, crassiora, lanugineque quadam alba obsita. In illa eadem insula inveni Cyperi radices longas admodùm odoratas, & Chamedrim arboream, duorum ferè cubitorum altitudine propè Butrinto viventem, quæ folia duplo & triplo Italicis majora habebat. Zacynthi oxalidem, qua ejus insulę pharmacopæi ad medicinam utebantur, inspexi, admodùm à nostris oxalidis omnibus diversam, quippè exilis herba ipsa est, foliis parvis, crassis, oblongis, calthę foliorum ęmulis, gustum non minus quàm nostra acido sapore ferit. Ibi quoque crescit Acacia secunda Mattheoli, quàm ego florentem mense Februario inspexi foliis, floribusque minoris anagyridis proximis, quę gustata, sapore adstringenti feriunt, paucisque tamen ac mollibus spinis obsita. Neque arbitror essę veram acaciam, quam in Capadocia & Ponto nasci Dioscorides prodiderat, quòd minime convenire cum prima Acacia, seu spina Aegyptia videatur. Aliud agnovi in illa insula, quippè Smilacem asperam esse veram Salsam parillam, qua medici utuntur ad sanandam luem Gallicam. GVILAND. Copiosiùs quoque hanc plantam in quampluribus Italiæ locis nasci scio, quare istud, quod ibi didicisti, novum apud me non est. ALPIN. Verùm dicis, etenim ipsam aliàs in multis aliis locis offenderam ac observaveram, verùm perpetuò, an esset salsaparilla, anceps, ac dubius fui. In hac verò insula ea spectata, clariùs cognovi verã eam utiq; esse. GVILAN. Quamobrem in Italiæ locis cum eandem ipsam spectaveris, ejusdem non fuisti sententiæ, scilicet eam esse Salsam parillã. ALPIN. Quoniam omnes Smilaces asperæ, quas hactenus videram, exiles admodùm brevesque, ac capillares radices habebant, sed quam in Zacynto insula videram, longas, crassas,

ſas, aſportatis Hiſpania radicibus Salſæ parillæ omninò ſimiles. Quo pacto verò has agnoverim, tibi jam explicabo. Ego enim, ut otium diuturnæ moræ effugerem, forte fortuna collem illiuſce inſulę perreptans, in valle quadam ad ſæpem oculos conjeci, lenthiſcis ac multis aſperis ſmilacibus contextam, cujus à radicibus omnibus terram impetuoſa torrentis aqua ſic abduxerat, ut illarum plantarum ſepem texentiũ omnes radices, non ſecusquàm venæ arteriæ, & nervi humani corporis à carne ſeparati, nudæ conſpicerentur, Smilaceſque aſperæ longos ſanè ſerpentes imitatæ, aliiſque radicibus convolutæ, mira longitudine, ac craſſitie mihi ſe obtulerũt. ita ut quaſdam illarum duorum, & amplius cubitorum longitudine, & craſſitie communium Salſæ parillæ radicum inſpexerim, ex quo continuò eas Salſæ parillæ radices eſse judicavi. Et dùm hæc ſimul cum aliis, qui unà ibi mecum aderant, conſidero, augurium contingit opportuniſſimum. Nã ex tranſeunte Gręco homine ejus loci accola, & agricola, peto, quomodo ibi illa planta appellaretur, qui reſpondit, Smilachiam nuncupari, ipſamq; in uſum apud ipſos eſse pro curanda Gallica lue: ex quibus verbis exploratiùs eam conſiderans, video radices ejus longiſſimas & craſsas, eadem ſubſtantia præditas, nullumque præſeferre ſaporem, uti radices ſalſę parillę: ex quibus colligo ſtatim, Smilacem illam aſperã veram eſse ſalſam parillam Pharmacopola ejus loci multum lucri ſe fecibſe his radicibus nobis affirmavit, quod ſępè harũ radicum ibi collectarum multos faſces collegerit, & in alia loca miſerit, quas pro veris Salſę parillę radicibus ſępiſsimè vendiderat. Quam mercaturam clam agebat, ne eam plantam alii diſcerent. Addo Cayri me in Salſę parillę faſcibus ex Hiſpania aſportatis vidiſse, fruſtra radicum nodoſarum, vel

geniculatarum asperæ similacis, à quibus procedunt radices, quibus medendo nos utimur, cum foliis ejusdem plantæ, tùm ramulis spinosis, sic manifestè, ut nemo, qui viderit, eos fasces Salsæparillæ, esse ex Smilace aspera selectos, negare potuisset hanc plantam eandem esse cum Salsaparilla.

GVILAND. Placuit multum mihi, te veritatem de Smilace aspera probè agnovisse, cujus quidem sententiæ non solú me sed quamplures alios fuisse tibi persuadeas volo, in primisque Gabrielem Faloppium, herbarum materiæ doctissimum, qui in libello de morbo Gallico, in capite de Salsaparil
» la hęc prodidit. Aliàs credebam esse radicem Ebuli, & perstiti
» in ea sententia plurimis diebus, donec Hispanus ad Ducem
» Florentiam integram asportavit plantam, & hinc patuit er-
» ror meus, & vidi esse radicem Smilacis asperę, de qua Dio-
» scorides libro quarto, & scriptores antiqui mentionem fece-
» re. Quod magis confirmavi experientia, nam cum in mon-
» te Sancti Iuliani Pisis vidissem Smilacem asperam, curavi ef-
» fodiendam, & semper usus sum loco Salsæ parillæ, & per
» biennium illud, quo ibi fui, semper cum fœlici successu plu-
» rimos à lue Gallica liberavi. Quam etjam sententiam con-
» firmat Amatus Lusitanus medicus, quamvis Hebręus, non spernendus, in libro quinto suarum centuriarum. Quare te hac de re evehi non oportet, quando alii ante te multi eam noverint. Sed quomodo asserere possumus ejus insulæ Smilacem, probè Salsam parillá delineatam demonstrare, minimeque illam, quá Italiæ loca ferunt atque alunt Quod tamẽ fieri putoterræ, qua ipsa serpit, diversitate, etenim in duro solo sicco, & squalido effossum Smilacem videbimus radices minores, gracilioresque Salsaparilla habere, & in mollissimo solo, quod in eo facile queant serpere, longiores, crassioresque,


que,

que, Salſæ parillę planè proximas. Ea ſiquidem Smilacis planta, quam in ea inſula olim cum in illis locis diverſarer, inſpexi, ſolo molliſſimo, pingui ac humido nutriebatur, ex quo mirum non eſt, ſi longis, craſſiſque radicibus fuit inventa; in ſicco verò duro, nequeuntibus, terræ duritie obſiſtente, radicibus liberè ſerpere ac meare, Smilax aſpera radicibus brevioribus, tenuioribuſque apparebit. Quales à me obſervatæ fuere in Zacynthi inſulæ, Corcyræ, Creteque locis ſaxoſis & durioribus. Addo multos decipi in agnoſcenda Salſa parilla ex Smilace aſpera, non omnes Smilacis, Salſæque radices animadvertentes, ac obſervantes. Etenim in aſpera Smilace duæ radicum differentiæ ſpectantur. Ipſa ſiquidem in primis ex ſtipite radices procedentes habet albas, rotundas, nodoſas, digiti craſſitie, cannulis parvis perſimiles, quæ ſanè radices non admodùm longæ exiſtunt, ex quarum geniculis vel nodis aliæ proficiſcuntur atque exſiliunt à primis planè diverſæ, in duroque ſolo parvæ, breves, tenueſque, non ſecus quàm capillamenta quæpiam cernuntur, atque in molli longæ, craſſæ, quales in Salſa parilla, inveniuntur. Ex quo apparet radicum Smilacis differentia, quæ itidem in Salſę parillę planta ex Hiſpania advecta facilè obſervatur ac reperitur, adeò ut, quęque harum plantarum habeat primas radices à ſtipite ſtatim procedentes albas, nodis ęqualibus intervallis diſtinctas, cannis proximas, non tamen intus pervias, ſed plenas, digiti minoris craſſitie, refertas, & ſecundas ab harum nodis uti capillamenta exſilientes ac exeuntes, longas, primis graciliores, ęquales, nodis carentes, ſive non geniculatas. Qui itaque negant Smilacem aſperam veram eſſe Salſam parillam, dicunt radices utriuſque plantę eſſe inter ſe differentes, forma quippè ac etjam magnitudine, forma quid em,

quoniam Smilacis tantam primas radices nodoſas albas, breves, craſsas ſpectantes, ſecundis à primarum nodis naſcentibus longis, gracilibus non nodoſis, ęqualibus comparantes, manifeſtiſsimam inter has differentiam faciunt. quam confirmant etjam ex eo, quod primę craſsę, & breves, hęque graciles, longę exiſtant. Errant quidem iſti non rectè radices invicem, ut par eſset comparantes, quoniam ſi radices Salſęparillę graciles longas, quę ſunt ſecundę radices, non primis Smilacis aſperę craſsis, nodoſis, candidis, brevibus, aç ſecundis à nodis primarum naſcentibus comparaſsent, ſine dubio nullam differentiam inveniſsent, hac excepta, quòd Smilacis radices ſecundę, Salſæ parillę radicibus breviores graciliores loci cauſa obſervantur. Quam differentiam Soli terręve mollitiei, & duritiei ratione, vel ejuſdem diverſitate, ac fortaſsè etjam cęlo calidiori fieri nobis perſuaſum eſt. In duro enim ſolo atque in frigidiori cœlo radices non ita creſcunt, & craſseſcunt. *ALPIN.* Veritatem attigiſti, atque iſtęc omnia ad radicum Smilacis attinentia à te prodita, ego oculatim in Zacynthi Inſula ſedulò obſervavi, atque cognovi. Quę veritas ex plantæ e vivo delineata icone planè clara eluceſcet. in quo utręque tùm primæ radices nodoſæ, craſsę, breves, tùm ſecundę alię ab harum nodis naſcentes, longè graciles, ęquales ſine geniculis manifeſtiſsimè ſpectari poſſunt. GVILAND. Ex viſa Smilacis hujus Icone, atque ex iis, quę tu de ipſa hactus dixiſti, facilè eam Smilacem, quam tu in Zacynthi Inſula naſci prodidiſti, eſse à Smilace aſpera Italię in locis inventa multum differentem, cognoſcitur, tùm ex foliis brevioribus, tùm ex diverſa foliorum figura, tùm multo magis ex radicibus illis nodoſis, quę in aliis Smilacibus aſperis non inveniuntur.

SMI-

SMILAX ASPERA.



Per-

Pergemodo reliquarum à te conſpectarum plantarum narrationem ac hiſtoriam abſolvere, cum nobis de hac plãta nihil dubii relictum ſit, quin credamus ipſam veram eſse Salſam perillam. ALPIN. In Creta inſula inter aliàs plantas ibi Thymũ, Thymbram, Epythimum, Marum, Ladanum, Aſpalathum, Styracem offendi. Thymum utrumque vidi, quippe magnum ac parvum, magnus eſt planta ſarmentoſa foliis ſatureię proximis, ſed aliquatenus aſperioribus, latioribus, & viridioribus, ſapore valdè acri ac odorato: quam plãtam falſo multi Tragoriganum eſse Dioſcoridis ſtatuunt. Thymus ſecundus minoribus foliis, tenuioribus, albioribuſq; totę Italię eſt notiſsimus. Tymbra eſt planta in Creta Inſula naſcens copioſiſsima, ſimilis Thymo majori, ramulis duris lignoſis, foliis Thymi latioribus, mollioribus, herbacei coloris, non ordinatim, ut aliqui prodiderunt, naſcentibus: neque inter hęc alia foliola naſcuntur. ex qua planta communiter pro ſecunda Thymbra delineata, non veram eſse conjicitur, quam ibi vidi cum Epythimo, admodùm differentem. Epythimum verò in loco ejus Inſulę Fraſchya vocato, Cuſcutę modo, Thymo, Thymbræ, atque aliis plantis convolutum inveni. ex quo falſum eſse duas eſse Epithymi ſpecies, dignovi, quippè unam Thymi florem, atq; ſecundam capillarem hanc herbam cuſcutę ęmulam. Epithymum namque nigram bilem purgare omnes affirmant, Thymi verò flores id pręſtare nemo dicet. Aliqui ex Cretenſibus ajunt Epithymum, atque Epithymbram purgare ſanguinem calore exuſtum, multoſq; inter ſe differentes morbos ex illius capillaris herbę ſupra varias plantas inventę uſu ſanari. etenim, quę origano convoluta collecta eſt, morbis omnibus purgatione conducere affirmant, quibus origanum per ſe ſolum ſubvenire compertum eſt. Sicque in aliis plantis repertam & ab ipſis exceptam

vel

vel collectam, vim habere purgandi humores, è quibus concitatis morbis hę plantæ succurrere, atque auxiliari facultate solent. Marum apud aliquos Cretenses vidi, nostro Amaraco planè simile. etsi tamen gracilioribus, minoribus, asperioribusque foliis amaraco constet, multoq; nostro Amaraco sit odoratior, & prętantior, quam plantam, sylvestre amaracum, & non Marum nuncupandam judico. Plantam verò, ex qua Ladanum Cretenses colligunt planè differētem ab ea, quam hactenus ferè omnes prodidere, inspexi, Hęc siquidem Cysto fœminę persimilis est, foliis tamen cysti longioribus prædita, Salviæque proximis. Floresque fert sylvestribus rosis omninò similes, qui roseo etjam colore, quippè communium rosarum suffusi spectantur. Quæ planta à cysto fœmina florum tantum magnitudine differre videtur. Deceptusq; fuit Mattheolus Dioscoride dicente, Ladanum esse cysti genus longioribus foliis nigrioribusque refertum. quæ notæ in cysto, ex quo Cretenses Ladanum colligunt, utique omnes observantur. quandò hæc planta omninò cysto fœminæ sit similis, cum iisdem foliis floribusque spectetur, etsi majoribus. Aspalathum, etjam ut aliàs quoque dictum est, copiosissimum propè Fraschyæ portum in quodam colle virentem atque florentem sæpè inspexi, odorisque eximia suavitas ex hujusce plantæ floribus ad me delata, fuit in causa, ut ipsum agnoverim. Quæ planta est frutex densis ramis, spinis albis duris horridis cortice caudicis albo, ad trium cubitorum & plus altitudinem in altum assurgens. floribus multis parvis, croceis. Spartii similibus, sed summè odoratis. Hujus arbusti radices duræ, longæ crassæ, colore flavo, atque cortice summè odorato tunc temporis à me fuere observatæ. Multasque meus Pharmacopæus decerpsit, Cayrumque ad usum medicinæ meo jussu detulit. Plures Styracis arbores ibi quoque in-

inspe-

ſpexi propè illius loci rivum virentes, quarum multas mecum in Aegyptū detuli. Quo in loco cœli cauſa non vixerunt. Sed quid te ampliùs de ejus Inſulæ plantis, tibi pluſquā mihi notiſsimis? Quę enim Gręcię pars nunc eſt, quam tu plantarum deſiderio ſępiùs non peragraveris? Et hæc de plantis Ægypti à nobis dicta ſufficiant. Quibus abſolutis ad alia tranſeūdum eſt, & fortaſſe ad ſtudium de ambiguis nonnullis ſimplicibus medicamētis agnoſcendis, ſępè à me deſideratum. Diù enim ſummoperè deſideravi inter nos abſolutiſſimam de omnibus priſcorum medicorum uſitatis medicamētis ſimplicibus, quæ hactenus apud pleroſq; noſtrorum medicorum dubia habētur, haberi diſputationem GVIL. Iam hiſtoriam de Aegyptio
" rum tùm uſitata medicina, tùm plantis illis in locis naſcētibus
" finem habuiſſe video. qua de re, ac de iſto mea cauſa ſuſcepto
" labore, tibi ego plurimum dum vivam debebo. maximæque
" nunc tibi à me agendæ ſunt gratiæ, perpetuoq; habendę. Di-
" ſputatio verò à te de ſimplicium medicamētorum, dubii ali-
" quid penè noſtros medicos habentium, ratione propoſita, di-
" gniſsima ſanè videtur, quę à nobis perpendatur. Hoc tamen in
" pręſentia faciendum non puto: Sole enim jam ad Antipodes
" deſcendente, parum hujus diei nobis ſupereſt. Quamobrem
" ſermo hic in aliud tempus nobis accommodatius, remittendus
" eſt. Interim nosmetipſos paululum à labore laxabimus, quietis ac otii aliquantulum animis cōcedentes. Quamprimum tamen tempus opportunum ad eum ſermonem tibi videbitur, ad me redibis, ut hac de re aliquid dignum commentemur. ALPIN. Ita faciam, ſed antequam nox ingruat, me domum redire conſultius eſt. Vale atque me, ut ſoles, amato. GVIL. Vbi mecum manere non eſt animus, ut lubet, hinc diſcede. Interim mei ſemper eſto memor, tibique me eſſe addictiſsimum, atq; tui obſervantiſsimum, ſcias velim. i fœlix.

FINIS LIBRI DE PLANTIS.

PROSPERI ALPINI DE BALSAMO.

DIALOGVS.

IN QVO VERISSIMA BALSAMI Plantæ, Opobalſami, Carpobalſami, & Xylobalſami cognitio, pleriſque antiquorum atque juniorum Medicorum occulta, nunc eluceſcit.



Patauii, Apud Paulum Frambottum. M.DC.XXXIX.
Superiorum Permiſſu.

PROSPER ALPINVS AD LECTOREM.

MULTOS ab hinc annos in Ægypto Medicinæ cauſa moratus, nonnullos libros de illiuſce gentis tùm uſitata medicina, tùm plantis conſcripſeram; præſertimque de Balſamo Dialogum, ex quo arboris, ſucci, fructuum, virgarumque veritas hactenus pleriſque Medicis, & Pharmacopolis obſcura, cognoſceretur, claraque eluceſceret. Quos omnes ſanè libros ſimul in lucem prodere cogitabam. At hortatu quorundam amicorum, qui me aliorum librorum editionem non ita brevi tempore publicaturum putarent, ſententiam mutavi, maximeque nonnullis doctiſsimis Pharmacopolis obnixè ſuadentibus, qui Theriacam, Mithridatiumque nunc paraturi, ab Excellentiſſimo hujus inclytæ urbis Medicorum Collegio veri Opobalſami, Carpobalſami, & Xylobalſami veritatem, & hiſtoriam agnoſci exoptant, ut his ad prædicta paranda medicamenta, atque ad alia liberè uti poſſent. Non immeritò Theriacam Mithridatiumque his ablatis ab antiqua ſua excellentia, non parum deficere dubitantes. Ne itaque iſtorum deſiderio me obſequi nolle videar, libellum hunc priùs emittere non ſum veritus. Hancque hujus celeris editionis cauſam Candide lector veram eſſe putato. Interim libros alios de Medicina Ægyptiorum vocatos (ſi modo hunc meum li-

bellum Medicinæ studiosis aliquo pacto arrisisse intellexero) propediem in lucem venturos expectabis. Tuque etjam æquo animo ego Balsami disputationem hanc, veritatis tantum agnoscendæ studio, atque juvandi desiderio sum prosecutus, eodem legendam accipies. Vale.

PRO-

PROSP. ALPINI
DE BALSAMO
INDEX

AEgyptij locus, qui olim Balsamum aluit. 6.

AEgyptum nunquam Balsamo patrium ac natiuum fuisse. 13.

Albedinem Opobalsamo in aquã stillata propriam esse. 31.

Amatum Lusitanum & Nicolaum Manardum affirmare Balsami plantam planè periisse. 10.

Antiquos Scriptores de Balsamo fuisse omnes inter se opinione differentes. 23.

Antiquis Scriptoribus de Balsamo planè non esse fidendum. ibid.

Antiquos Scriptores fuisse in causa, vt nostri non credant, Opobalsamo Carpobalsamo, ex Arabia delatis. ibid.

Antiquorum de Balsamo diuersitatem signum esse eorum ignorantiæ. 24.

Antiquos de Balsamo multa ex auditu litteris tradidisse. ibid.

Antiquos fortassis non vidisse Opobalsamum. 39.

Antiquos deceptos, dum crederent, Balsamum olim tantùm AEgypto atq; Indiæ fuisse concessum. 24.

Aqua fontis, quâ olim vsa fuit Beatiss. Virgo, Balsamum ali seu irrigari, atq; eius miræ facultates. 25.

Aquæ fõtis Matthareæ quæ virtutes ab AEgyptijs tributæ sint. 25.

Arabes lucri causâ cœperunt Balsami arbores colere, & quando. 12.

Arabiam felicem innumeras Balsami plantas nunc alere. 12.

Arabiam felicem perpetuò Balsamum habuisse. 52.

Arabes omnes ad componenda medicamenta, Opobalsamo, Carpobalsamo, Xylobalsamoq; vulgari ac venali uti. 19.

Arbores Balsami quæ in Aegypto aluntur ad quã magnitudinẽ crescant. 23.

Arbores Balsami in Arabia viuentes quâ magnitudine spectentur, seu crescant. 24.

Arbores Balsami multas in Arabia viuere. 7.

Arborem Balsami fruticosam, & sarmentosam. 16.

Arbores Balsami AEgyptij, & Indi differentia. 31.

Auctor cur de Balsamo librũ ante alios libros imprimi curauerit. 3.

B

BAlsami plantas felicem Arabiã perpetuò aluisse. 19.

Balsami plures plantas Bedrunia Arabiæ locus nunc alit. 8.

Balsami innumeras plantas Bedrunia locum Arabiæ arenosum miraculo Mahometis alere AEgyptij, illisq; asseclæ putant. 9.

Balsami innumeras plantas spontè natas in Arabia locis viuere, multorũ testimonio. 9.

Balsami plantæ quando Cayri exaruerint. 9.

Balsamum qui negant hoc tempore reperiri. 9.

Balsami plantam omnibus in locis periisse multi affirment. 10.

Balsami plantis quibus rationibus omnia loca nunc carere suadeatur. 12.

Balsami plantæ multæ ex Arabia quando in AEgyptum fuerint illatæ. 12.
Balsami ex Constantino Africano descriptio. 21.
Balsameta innumera in Arabia spectari. 12.
Balsami arbores in Arabia à Geripso alicui locari, vt Cayri Cassias. ibidem.
Balsami plantæ icon. 48.
Balsami plantæ in Iudæa quomodo propagatæ fuerint. 15.
Ballassan nomen ab Arabibus Balsami plantæ primò impositum fuisse. 16.
Balsamum ex Indijs Occidentalibus delatum. 10.
Balsami quibus in locis tantùm olim vixerit. ibid.
Balsami plantæ quomodo diu in AEgypto conseruatæ fuerint. 14.
Balsamum nunc in Arabia felici tantum viuere. ibid.
Balsami plantas in AEgyptum aliunde aduehi. 6.
Balsami plantæ quo pacto in AEgypto longo tempore sint propagatæ. 6.
Balsami plantas è Meccha omnes in AEgyptum venisse. 7.
Balsami plantas AEgyptium solum proprium numquam fuisse. ibid.
Balsamum Iudææ atq; AEgypti plantã fuisse peregrinam quæ suadeant. 13.
Balsamum semper tum in AEgypto, tũ in Iudæa in viridarys vixisse, & non alibi. ibid.
Balsamum non in Aegyptum ex Iudæa, sed ex Arabia felici venisse. ibid.
Balsami plantas nasci in Arabia, qui ex Scriptoribus prodiderint. 12.
Balsami plantas Arabes ex siluestribus locis in morbida viridaria trãsferre. 12.
Balsami plantam quibus plantis varij Scriptores compararint. 24.
Balsami diuersitas à magnitudine. 24.
Balsami diuersitas à figura. 25.
Balsami diuersitas à locis. 25.
Balsami plantam fruticem esse. 15.
Balsami plantæ descriptio. 15. 19.
Balsami plantam in Aegypto olim viuentem pro legitimo Balsamo Arabes atq; Aegyptios omnes perpetuò habuisse. 16.
Balsami cognitio à quibus petenda. ibi.
Balsami arbusti folia non esse alba, ut Dioscorides voluit. 19.
Balsami quot frutices Cayri Bellonius olim inspexerit. 51.
Balsamum perpetuò viuere. 51.
Balsami Fruticum Cayri inspectorum descriptio. 51.
Balsamum singulis annis putatur. 51.
Balsami plantæ virgæ. 46.
Balsami fructus Terebinthi fructibus similes. 29.
Bedrunia locus Arabiæ felicis, qui balsami multas plantas alit. 8.
Bessa Menissinor plantas balsami in Aegypto renouauit. 12.

C

Carpobalsamum verum. 41.
Carpobalsami duplex genus circumferri. 41.
Carpobalsami veri descriptio. 42.
Carpobalsami copiam in Italia ex Aegypto conuehi. 42
Carpobalsami notæ. 43
Carpobalsamum venale verum esse. 46
Carpobalsami descriptio ex Serapione 43.
Carpobalsami veri notæ è Dioscoride. ibid.
Carpobalsamum venale, quibus rationibus aliqui demonstrent verum non esse. ibid.
Carpobalsamum venale omnes notas habere, quas legitimo Dioscorides tribuit. 44.

buit. 44.
Carpobalsamum ex Galeno non posse adulterari. 44.
Carpobalsami loco quid substituant Veneti pharmacopolæ. 45.
Consules Venetos multos vero Opobalsamo non carere. 40.
Conceptiones Palmarum admirabiles. 26.
Constantinus dixit balsamum nasci in India. 13.
Cur nostri in cognitione balsami decepti sint, & à quibus. 24.

D

Dioscorides cur de balsamo dixerit ipsum panno adhærere. 37.
Dioscorides etiam Balsamum *alibi quã in Aegypto, & Iudæa viuere affirmare videtur.* 12.

F

Flores Balsami. 19.
Folia Balsami *qualia spectentur.* 20.
Foliorum Balsami descriptio. 26.
Franciscus Priolus Consul *Aegypti.* 18.
Fructus Balsami *qui.* 42.
Fructuum Balsami copiam multam ex Aegypto in Italiam asportari. 42.

G

Græci B. littera carent. 16.

H

Halybei quadraginta Balsami plantas è Mecha Cayrum iussu Præfectitulit. 17.
Hiericum Balsamum olim habuisse. 11.
Horrem Bei dux Carauanæ peregrinorum. 18.
Horrem Bei *è Mecha multum Opobalsami, Xylobalsami, Carpobalsami* Cayrum *detulisse.* 7.
Hortus Balsami fruticibus consitus vbi. 50.
Hortus Balsami *in Aegypto descriptio.* 50.

I

Incolæ Basiliani mõtis Libani olim Balsamum ibi vixisse affirmant. 12.
Ioseph, Sabam Arabiæ Reginam Salomoni in Iudæa balsami plantam dono tulisse. 13.
Iustinum de balsamo arbore deceptum. 26.
Iuniperi fructus pro Carpobalsamo Venetos pharmacopolas substituere. 42.

L

Lignum Balsami *quale.* 46.
Locus Aegypti, vbi Virgo Beatissima *multos annos vixit, ac menses.* 17.

M

Mattharia locus in quo Beatissima *Virgo annos cum puero eius Filio mansit.* 17.
Mattharia est locus Cayri Ciuitatis, in quo erat Balsami *planta.* 5.
Mattharia locum in quo alebatur Balsalmum, *nunc eo carere.* 6.
Mecham Opobalsamo abundare. 15.
Medina Arabiæ felicis ciuitas. 18.
Marcatores Cayri Carpobalsami, & Xylobalsami totum quod habent ex Arabia conuehere. 53.

N

Notæ sinceri Opobalsami ex Dioscoride atq; alijs traditæ. 36.

O

Obseruatio Petri Bellonij *de Balsamo.* 49.
Opobalsami copiam multam in Arabia felici colligi. 15.
Opobalsami copiam Arabes in multa Orientis loca comportare lucri causâ. 12.
Opobalsamum ex seminibus balsami elici. 40.
Opobalsami notæ. 21. 22. *et* 29.
Opobalsamum verum nusquam inueniri multi affirmant. 28. *quamobrem*

id

id fiat. ibidem.
Opobalsamum quomodo album multi prodiderint spectari. 28.
Opobalsamo quas notas multi tribuant. 29.
Opobalsami mutationes ex varijs eius ætatibus. 29.
Opobalsamum quando tenuissimum, & clarissimum. 29.
Opobalsamum Serenissimi Ducis Florentiæ verum esse. 31.
Opobalsamum quomodo ex arbore eliciant. & quando, & quale sit. 22.
Opobalsamum statim eductũ quale. 22.
Opobalsami descriptio. ibid.
Opobalsami varietates ex ætate et alijs 22.
Opobalsamo quatuor ætates vt animali, conuenire. 22.
Opobalsamum etiã Galeni temporibus adulteratum. 34.
Opobalsamum quibus adulteretur. 34.
Opobalsami adulterati cognitio. 34.
Opobalsami oleo vitiato cognitio. 34.
Opobalsami sinceri cognitio. 36.
Opobalsamum omne in aqua stillatum, & coagulatum albũ videri. 31. & 32.

P

Paulus Marianus Venetus pro Gallorum Rege Consul. 18.
Pausanias Balsamum in Arabia nasci prodidit. 13.
Petrus Bellonius. 47.
Petrus Michael Consul Aegyptij. 17.
Plantas Balsami in Aegyptum aliunde aduehi. 6.
Plantæ quadraginta balsami è Mecha delata atq; Cayri in loco quando insertæ. 17.
Plantas Balsami plenè non perijsse. 9. et 10.
Plantæ Balsami in locis sterilibus viuẽtes quoad Opobalsamum steriles. 18. & 27.
Plantæ peregrinæ seruatæ in viridarijs. 14.
Plantas patrias non in viridarijs, sed vbiq; viuere. 14.
Plinius de Balsamo. ibid.
Plinius in quo de Opobalsamo deceptus. 41.
Pseudo carpobalsamum & eius descriptio. ibid.

S

Scander Bei Medinæ ciuitatis Prætor ex Zacyntho Insula à Segurorũ familia ortus Balsami *recentes fructus, ac Succum* Cayrũ *demisisse.* 18.
Semina Balsami *copiosissimè ex felici Arabia in Aegyptum deferri.* 18.
Semina Balsami *qualia.* 42.
Semina pro carpobalsamo vulgo recepta esse verum carpobalsamum. ibi.
Semina Balsami *cũ folliculo esse nigra subrubescentia.* 46.
Serapio de Carpobalsamo. 42.
Seriis Meccha & Medinæ plurimum veri Opobalsami Regi Turcarũ singulis annis dono mittere. 39.
Species vegetabilium esse perpetuas. 10.

T

Theophrastus de Balsamo. 14.
Theophrastus rectè Carpobalsamum descripsit. 42.
Turcas & Arabes omnes affirmare, innumeras Balsami *plantas omnia Arabiæ culta & inculta loca alere.* 18.
Turcarum Rex vnde plurimum Opobalsami habeat. 37.

V

Virgarum Balsami *descriptio.* 46.

X

Xylobalsami cognitio. 46.
Xylobalsamum citò odorem & saporem omnem relinquere, & quamobrem. 46.
Xylobalsamum ex Bellonio *venale idẽ esse cum Aegyptio.* 52.

Z

Zebet album nasci, & mox turbari. 20.

PRO-

PROSPERI ALPINI

DE BALSAMO DIALOGVS.

DE BALSAMI PLANTA, SVCCO, Fructibus, & Virgis esse loquendum. Cap. I.

ABDELLA Medicus Ægyptius, ABDACHIM, Hebręus, & ALPINVS Italus.

QVEM ego nunc hominem conspicio per hoc viridarium el Mattharia gressus moventem? is certè meis oculis Abdachim Medicus videtur, vir honestisimis moribus (quamvis Hebręus) præditus, mihique multum familiaris: eum igitur conveniam, & salutabo. Salve Abdachim, Quàm diluculò hoc viridarium es ingressus; Quid tibi verò negotii est, ut tàm summo mane hùc te recipias. ABDACH. Te nunc huc convenisse, valdè lætor, quando jam diù te exoptaverim videre, ac tecum colloqui, Tibi optata hæc sit dies, Ego ut viridarii hujus amœnitate, suavisimoque florum cassiarum odore, auraque matutina frigidiuscula me aliquantulum recrearem, huc accesseram. ABDEL. Cur verò viridarii istius plantas undique observas, neque te humi stratum sub ficus hujus Aegyptiæ latisimis ramis conspicio, ut quietiùs ita tùm animum, tùm etjam corpus recreares. ABDACH. Oculos hinc inde dimovebam, si aliquam Balsami plantam viventem potuissem inspicere, cujus odore eximio olfactu animales spiritus delectassem, quas custodum negligentia exaruisse comperi,

quod

quod ſatis ægrè patior, plurimumque me tædet hoc viridarium illis nunc carere plantis,multumque ornamenti hac de cauſa hic deeſſe videtur. ABDEL. Ne te ob id excrucies, quandoquidem ſæpè aliàs aliundè aſportatæ, atque hic inſertæ plantæ perierint, quæ nunc fortaſſe, aliis adhùc juſſu præfecti advectis,citò renovabuntur,ùt ſæpè aliàs factum eſt. Sed quem video ad nos venientem? An Alpinus Veneti Conſulis Medicus? ABDACH. Ipſe eſt, cui nos obviam ire honeſtum eſt, quòd humanus hic ſanè vir eſt, atque affabilis. ABDEL. Quid iſtud eſt Alpine, quod nos te hic nunc offendimus? tuus adventus pluribus de cauſis eſt nobis jucundiſſimus. ALPIN Viridarium hoc ſpectandi gratia huc me contuli, vobiſque pro veſtra erga me humanitate,plurimum debeo, neque parum gaudeo, quod ambos vos hic offenderim, jam diu enim vos videre deſiderabam, nec immeritò, cùm vos pluribus nominibus tantopere obſervem, Neque eſt quod veſtram ego nunc in arte medica doctrinam coram extollam, neque quantum à vobis in ea profecerim, vel didicerim. ABDEL. Bonus es cùm hæc exiſtimas, utcumq; res ſe habeat, à te amari nos ſummoperè expetimus. ALPIN. Gratias habeo, ſed timeo ne importuno meo adventu jam cæptos veſtros ſermones in terturbem: eorum tamen, & veſtræ jucundiſsimæ conſuetudinis ſi fieri particeps mihi licerèt, mirum in modum meus hic adventus mihi voluptati foret. ABDEL. Gratiſsimum nobis erit, nunc tecum vir doctiſsimè colloqui, à quo pro tua doctrina plurimum noſtros ſermones claritatis recepturos ſperabimus. ALPIN. Vobis gratiam habeo. Quid iſtud autem eſt, de quo ſermonem inſtitueratis. ABDACH De Balſami planta, quam in hoc viridario aruiſſe comperi, inter nos commentabamur, Cujus

ja-

jacturam mihi ægrè ferenti Abdella noster in plantarum materia exercitatissimus, animum restituit, multas è Mecha olim etjam pluries delatas huc, insitasque fuisse, & planè revixisse narrans, atque etjam hoc modo sæpè Balsami plantas renovatas fuisse, ut sperandum sit, nunc etjam præfecti Ægypti jussu, ubi ad illius aures harum jactura aliquandò pervenerit, denuò instaurari posse. ALPIN. Quid audio? illas plantas huc aliunde fuisse asportatas, eoque modo perpetuò instauratas? quasi Aegyptus illis proprium solum non fuerit. non in sermonem inanem spero me nunc incidisse, de Balsamo inceptum: de quo non pauca vobiscum loqui jam diù desideravi, quæ si vobis nunc grata fore putares, libenter proponerem. ABDEL. Gratam nobis rem facies si hac de re disputationem aliquam promoveris: ex qua plurimum emolumenti pro tua doctrina, atque humanitate nos esse consecuturos speramus, proinde quicquid est, quod à nobis scire, velis, nunc in medium profer. ALP. Multum vobis pro hac re debeo, veterumque Ægyptiorum sapientiam & humanitatem agnosco. Verum ne longiùs verbis rem producam, de Balsami planta, succo, fructibus, lignis nunc vobiscum disputare desidero, quando ego hactenus Scriptorum varietate anceps, ac dubius fuerim. ABDACH. Neminem Ægyptiorum, vel Arabum esse nunc arbitror nostro Abdella in re plantaria magis versatum: pluribus iisdem plantis ab eo cùm hic, tùm alibi inspectis, ac omni studio observatis, sed ut de hac re clariùs disseramus, in capita redigere te oportet, de quibus sit sigillatim disserendum. Quare istæc omnia nunc in medium profer. ALPIN. Dicendum à vobis primò censeo, an Balsami planta hoc tempore alicubi vivat, quando in hoc viridario, in quò hactenus à priscis illis temporibus usque

ufque adhuc vixit, planè exaruerit; atque non minus, an ab ea collectus fuccus, fructus, lignaque ad nos perferantur, vel potiùs unà cum arbore cuncta perierint. Hæc in primis à vobis enarrari mihi cupio, quibus cognitis, figillatim de fingulis agemus.

An Balfami planta, ejufque fuccus, fructus ac virgæ nunc reperiantur, & in quibus locis proveniant.

Cap. II.

ABDELLA.

QVAMPLVRES Balfami arbores in multis Arabiæ locis nunc vivere, quarum fuccus, fructus, ac virgæ hùc ad nos à multis afportantur, certifsimum eft. Neque id Ægyptios, Syros, Turcas, & aliarum nationum homines multos, Arabiæ loca peragrantes latet, quinimmò omnes annis fingulis Mecham, & Medinam primarias Arabiæ fœlicis urbes, peregrinationis gratia adeuntes, quantus in illis locis fit ex arbore Balfami proventus, planè fateri pofsunt. Nam Mecham hinc euntibus, & ad villam quandam Bedrunia ab his vocatam, quæ diftat ab urbe Cayri fpacio dierum quindecim, accedentibus, mons pergrandis, arenofus propè eam villam pofitus continuò confpicitur, Balfami innumeris arbufculis refertus, quas ibi Mahemetis miraculo ortas noftrorum multis fuafum eft; Sed utcumque ibi natæ fuerint, nobis id fufficiet, omnes ea loca quotannis peragrantes, innumeras ibi vivere comperifse; idque à quamplurimis hujufce urbis incolis, qui olim, & proximo etjam elapfo anno ea loca peragrarunt, audire, atque verum efse fcire poteris. Mul-

-tis quoque rationibus hæc veritas tibi à me persuaderi posset, sed si hujus viridarii Balsamis olim multis refertissimi terram aliquandò olfeceris, Balsami etjam nunc suavissimum odorem redolere senties, bisque, vel ter tantum, Sol suum peragravit orbem, postquam hæ plantæ custodum negligentia periere. At quid taces Abdachim, quem millies hic te illas inspexisse certo scio? vel cur me Italo Medico incredulo veritatem hanc suadêtem minimè adjuvas? ABDACH. Quid? An hunc nostrum sodalem medicum, multos annos hic moratum, plantarumque omnium studiosum, hanc veritatem ignorasse dubitas? Ego certè Balsami plantas innumeras diversis temporibus ex Arabia advectas, hicque insitas vixisse, certo scio, quas multi etjam alii Cayri incolæ inspexerunt. ALPIN. Nephas esse, ac inurbanum putarim, tantorum medicorum testimonio non moveri, qui præter herbarum peritiam, in qua illustres apud plerosque Ægyptios habiti sunt, una cum Balsamo in eadem terra nati, vixerunt. Sed, ut ingenuè fatear, quamquam ego cum viris in medicina clarissimis planè sentiam, hujusque rei veritatem omninò cognoscam, tamen hæc veritas non adeò usquequaque mihi satisfacit, ut possim aliis permultis Italiæ, aliorumque Europæ locorum medicis, atque Pharmacopolis incredulis hoc, ut cuperem, persuadere, qui absolutè affirmant, Balsami plantam nullibi hoc tempore reperiri, eamque planè periisse, ex quo succum, fructus, & virgas hinc in Italiam asportatas falsas etjam esse statuunt. Atque priscis sæculis, cum Balsamum tantum in Aegypto & Iudęa vixisse, Dioscorides ac alii prodiderint, quibus in locis nunc eam plantam cum amplius vivere nemo referat, planè omnibus in locis periisse colligunt. Quam sententiam ipsi pervicacissimè defendunt, neque

omnino carere videntur argumentis, quibus proprium errorem tueantur. ABDEL. Quomodo quæso istud esse potest? tantos ne medicos, doctissimosque herbarum professores ita obcæcatos esse, qui non viderint, neque cognoverint, Balsami plantas neutiquam in suo nativo solo periisse? Quod autem Ægyptium, ac Iudaicum falsò Dioscorides, atque alii crediderint, ex me paulo post cognosces. Neque optimi illi sunt Philosophi, qui ita facilè vegetabilium species, quæ iuxta Philosophorum placita perpetuæ existunt, tolli omninò posse, putent: Cęlo etenim nullis causis ad generationem facientibus nunc destituto, terraque ac cæteris aliis elementis eodē modo nunc, vt olim, se habentibus, cur terram easdem nunc ferre plantas, ut olim faciebat, non posse dicemus? Grave tibi non sit, quæso, illos, qui Balsamum periisse affirmant, mihi referre, & quibus etjam rationibus in tàm falsam opinionem venerint, explicare. ALPIN. Parum interesse arbitror, te hosce homines nominatim cognoscere, sed ipsorum potiùs rationes audire, quibus negant hoc tempore Balsami arbores, atque ipsarum succum, fructus, & virgas apud nos inveniri; id verò inceptæ disputationi sat erit. Horum siquidē non pauci existunt, qui non modo ad nos in Italiam prædicta vera comportari negent, sed arbores quoque, è quibus illa colliguntur, prorsus periisse prædicent. Quam sententiā valdè auxere Amatus Lusitanus Medicus in aliis non spernendus, & Nicolaus Monardus Hispanus, qui Syriacum atque Aegyptiacum Balsamum periisse affirmantes, aliud genus Balsami in Occidentalibus Indiis nasci, prodiderunt: Balsamumque à Dioscoride, Theophrasto, Plinio, ac a multis aliis herbarum antiquis scriptoribus celebratum, ac descriptum, eò affirmant periisse, quod prædictorum antiquorum

scri-

Scriptorum teſtimonio conſtet, olim duobus tantum Iudææ viridariis conceſſum fuiſse, ut inter cęteros Plin. & Theoph. teſtantur, poſtea verò quàm Iudea à Ptolęmeo primo Rege Aegypti, ac à Veſpaſiano devaſtata eſt, Balſamum in vallem Hiericunt appellatam tranſplantatum fuiſse, ibique vixiſse Iuſtino, Strabone, Solinoque, Polyſthore id affirmantibus, ſtatuunt. Et ab Artaxerſe Perſarum rege primo, ac mox à Romanis Adriano Cæſare rurſum tota ea regione bello everſa, prorſus Balſami plantam periiſse. Tandemque in Aegypto paucas hoc in viridario adſervatas vixiſse. Quo in loco non tantum priſcis ſœculis Balſamum vixit, ſed multo etjam poſtea, quaſi ad hæc uſque tempora plantam hanc hic conſervatam fuiſse aſserunt. Nunc verò, à multis, qui hoc tempore Aegyptum peragrarunt, hic quoque demùm eam aruiſse, confirmatur. Qua hic extincta, cum Dioſcorides, aliique in Iudea tantum, & Aegypto Balſamum vixiſse prodiderint, cui dubium erit, nuſquam gentium eam amplius inveniri poſse? Ex quo ſuccum, fructus, virgas, pro vero Opobalſamo, Carpobalſamo, & Xylobalſamo, ab Aegypto, vel Syria in Italiam aſportata, vera eſse quo pacto affirmabimus. Meritò igitur hæc omnia ſalſa nos affirmaſse videmur. Hincque tanta incredulitas, ac pertinacia invaſit eorum animos, ut potius in erroribus perſeverare, veraque ſibiipſis oblata reiicere, quàm opinionem mutare velint. ABDEL. Vix me continere potui, quin ſuſceptum tuum ſermonem interrumperem, uſque adeò animum adverſus illos concitaſti meum, nullis rationibus, ſed meris nugis Balſami omnes plantas periiſse, Opobalſamumque etjam, Carpobalſamum, & Xylobalſamum apud nos inventum falſum eſse aſserentes, ut tanta illorum impudentia excitus, quaſi quid loquar neſciam

ac ne differam illis respondere, dico, ac edico tibi, Balsami frutices neque etjam in Aegypto planè periisse, dici posse, quando sæpè jussu præfecti Cayri, quem Bessà appellant, plantæ multæ ex fœlici Arabia delatę in isto viridario inserantur. Et nunc vix tertius agitur annus, cum Messinoris per id temporis Aegypti pręfecti jussu, quadraginta è Mecha advectę, hic insertę fuerunt; quę tamen cum per annum vixerint, rursum custodum negligentia periere; quę facilè etjá denuò renovari possunt. In Arabię verò multis locis innumerę propemodum magno cum illiusce gentis lucro, aluntur: neque satis diù est, quod apud Arabes utilitas,& lucrum hoc cognoscitur; etenim Opobalsami quantitas multa in Orientis loca comportatur, quibus in locis eum succum in summo pretiò esse, multi ex Arabibus, nunc Cayrum habitantibus, narrant. Cujus succi lucro ab iis cognito omnes certatim multos Balsami frutices ex arenosis, montuosisque locis in morbida viridaria transferre conantur. Quamobrē ibi innumera pulcherrima balsameta cernuntur. Lege tamē iis populis interdictum est, ne pręter fiscum quis eam plantá serere queat; neque succum, vel flores, vel ramulos, vel fructus sine publico mandato quis capiat. Idemque ibi de Balsami arboribus, atque hic de cassiis solutivis accidit. Solet etenim hic alicui cassiarum negotium locari, & ideò non licet quemquam cassiam ex arbore capere, vendere, emere, aut emptam aliquo deferre. Quod itidem de Balsamo in Arabię locis observari, ex Arabum relatione planè constat. At quid illi Aegyptiarum ac Arabicarum plantarum ignari herbarii dicent, duobus ne tantum locis, quippè Aegypto ac Syrię Balsamum olim (Dioscoride, Theophrasto. Plinio, Iustinoque id docentibus) concessum fuisse? quasi aliorum

an-

antiquorum scriptorum testimonio non constet, in pluribus aliis etjam locis olim hujusmodi plantam vixisse: nonne Diodorus Siculus 2. historiarum libro, in quadam Valle Arabiæ Balsamum nasci, & non alibi memoriæ prodidit? Constantinus verò in lib. de gradib. ait, nasci in India; & Ioseph etjam in lib. 8. de antiq Iudaicis, Sabam Reginam Balsami plantam ex Arabia in Iudeam tulisse; Salomonique eam dono dedisse, ex qua ibi aliæ posteà plantæ propagatæ fuere: & Strabo in lib. suæ Geograph. 16. hæc scripsit: His proxima est fœlicissima Sabeorum terra, quæ maxima natio est Apud hos Thus, & Myrrha, & Cinnamomum nascitur, in ora etjam Balsamum, & alia quædam herbula valde odorata: Necnon & Pausanias idem in lib. 9. his verbis confirmavit, dicens: De viperis vero iis, quæ in Arabia inter Balsami arbores versantur, diversum quidem accepi. Id hujusmodi est. Sunt Balsami arbores eæ, quæ mirthi stirpis magnitudine. Folia illis, qualia herbæ amaraco. Theophrastus verò in Asia etjam nasci prodidit. Incolæ quoque Basiliani montis Libani, olim Alexi Græcis imperante, in quodam loco illius montis Solis ortui exposito Balsami plantas non paucas, è quibus tantum Opobalsami suscipiebatur, quantū in Aegypto hic colligi consuetum fuerat, diù vixisse narrant. Ex quibus certe sciri potest, olim non solùm Aegyptum ac Iudæam, sed etjam fœlicem Arabiam, & alia loca Balsamum aluisse atque habuisse. Quæ veritas etjam ex ipsomet Dioscoride confirmari videtur, scribente, Carpobalsamum, idest Balsami fructus suo tempore adulterari seminibus hyperici similibus, ex Petra oppido delatis. ex quo certo colligitur Balsami plantam alibi quàm in Aegypto vivere, a que semina producere. Præterea verum quoque hoc esset ex me audies,

dies, non in Aegyptum ex Iudęa, ut aliqui somniarunt, ipsum venisse, sed ex Fœlici Arabia semper fuiſse delatum: Aegyptiumque solum veluti neque Iudaicum, nunquam propriū, ac nativum ei fuiſse, in his locis Balsamum perpetuò peregrinam plantam extitiſse haud leve inditium est, eam ubique viridaria tantum aluiſse, in ipsisque tantum vixiſse, ut Theophrastus, Plinius, Strabo, ac Solinus meminerunt. Plinius enim hoc hisce verbis significavit, dicens: Sed omnibus odoribus præfertur Balsamum uni terrę Iudeæ concessum quondam duobus tantum in hortis, utroque regio, altero jugerum viginti non ampliùs, altero pauciorum. Theophrastus verò hæc dixit: Balsamum in *Valle Syriæ* provenit. Ejus arbusta duo tantum affirmant, alterum viginti jugerum, alterum multo minus: & Strabo de Balsamo vallis Hierici, hæc etjam memoriæ tradidit: Vbi & regia est, & Balsami viridarium, quæ arbor aromatica est, & fruticosa, Cytiso & Terebintho persimilis. Quid? nonne omnes observant plantas peregrinas in viridariis tantum ali, ac custodiri, quædam vero [illegible] patriis tametsi etjam in viridariis aliquando serventur, nihilominus multa alia loca inculta, sylvestriaque iisdem sponte nasci non carere observantur? At peregrinæ in viridariis tantum magno studio, ac diligentia aluntur & conservantur; quod in incultis, sylvestribusque locis sponte nasci, neutiquam conspici solent. Hic verò Balsami plantam perpetuò advenam, vel peregrinam fuiſse, & perpetuò ex Fœlicis Arabiæ locis advectam, plures unà nobiscum Cayrum nunc habitantes certa fide confirmare poterunt, qui omnes, plantas Balsami, quas hactenus hoc habuit viridarium, exinde comportatas fuiſse variis temporibus observarunt. Multoque labore, ac custodum diligentia vixiſse, facileque ex levissima

etjam

etjam causâ aruisse, quibus arefactis aliàs rursum ab illis locis extractas, hic insertas renovatasque; & hoc modo alternatis vicibus Balsamum in hoc viridario hactenus conservatum fuisse. Nemo plantas tanto labore ac diligentia in viridariis adservatas patrias dicet, quandò patriæ ubique spontè nascantur, crescant, ac nullo labore in propriis locis vivant. Ex quibus nos planè certi esse debemus, Balsamum nunquam Aegyptiis ac Syris patrium fuisse, cum in viridariis ibi multa diligentiâ, ac curâ semper fuerit custoditum: quod tamen de Arabia Fœlici, cum Balsamum ibi perpetuò vivat, minimè videtur dicendum, nullibi etenim nunc, quòd sciam, hujusmodi planta, nisi Fœlici tantum Arabię concessa, reperitur. Quam regionem Diodori Siculi, Strabonis, Pausaniæque testimonio, ut nuper dictum est, constat Balsami olim feracem fuisse, quæ eodem modo etjam nunc innumeras ejus plantas spontè natas alit. Quàm Balsami fertilitatem omnes Ægyptii, atque aliarum nationum homines annis singulis Mecham Fœlicis Arabię urbem adeuntes, veram planè esse confirmant. Copiamque ibi Opobalsami insignem annis singulis colligi, fructuumque non minus, & virgarum (cum Balsami frutices sępè quotannis putent) quę ad varias orbis partes vendenda ab his demandatur. ABDACH. At istęc vera esse concedentes, dicent, quam pro Balsamo tu, atque nostri Fœlicem Arabiam nunc alere inquiunt, non esse Balsamum, sed aliam plantam. ALPIN. Notę hujus plantę ab antiquis Scriptoribus descriptę ac memorię traditę, istud rectè docere poterunt. Nam omnes convenisse videntur, (ut ex te spero me magis distinctè cogniturum) Balsami plantam fruticem esse, non admodum magnum, foliis rutę proximis, perpetuò uirentibus, atque ex stipitis cortice scarificato liquorem

rem in primis album, oleo similem, eximio, acutoque odore præditum, manare. ABDACH. Millies tecum Abdella fruticem hunc ex Alpino descriptum me inspexisse in hoc viridario scio. Verum qui hujusce plantæ notas quærit, quibus nam hominibus magis credere debebit, Italis ne, an nobis Ægyptiis, qui unà cum Balsamo in hac civitate hactenus viximus, eamque arborem sæpius in hoc viridario inspeximus? Nemo certe ita fatuus erit, qui hac de re vobis, quàm nobis libentius credere, ac fidere maluerit. Hanc verò plantam pro vera arbore, quæ ab antiquis Balsamus appellata est, & in posterum memoriæ prodita, nostri omnes Arabes hucusque constantissimè habuerunt, Aliamque pro Balsamo ab aliis monstratam nemo nostrum uspiam offendit, vel vidit, vel aliquem vidisse unquam audivit. His addo nomen hujusce plantæ, quod est Balessan à nostris ei fuisse impositum, à quo & Græci b littera carentes, in u, mutata, βάλσαμον dixere, atque ab ipsis Latini Balsamum Cur igitur Italis magis quàm nostratibus de hac planta credendum erit; quando à nostris & Itali, & Græci, vel nomen ipsius plantæ acceptum, didicerint. Quapropter Balsami cognitionem à Dioscoride, Theophrasto, atque ab aliis antiquis scriptoribus minimè petendam judico, sed ab Ægyptiis & Arabibus, qui loca, in bus Balsami plantæ omnium consensu olim vixerunt, habitarunt. Si Ægyptii Arabes, Syri, atque alii omnes Arabica lingua utentes medici citra ullam difficultatem talem fruticem nunc in Fœlicis Arabiæ locis cultis, atque incultis, domesticis, atque sylvestribus nascentem, tanquam verum Balsamum recipiunt, eodemque tùm succo, tùm fructibus, tùm virgis, pro vero Opobalsamo, Carpobalsamo, & Xylobalsamo, nemine ipsorum hæsitante, ad componenda medica-

men-

menta, utuntur: Cur Itali etjam, atque alii aliarum nationũ medici ab illis, qui magis quàm nostri sunt in ea cognitione, eoque usu, exercitati, ac docti, idem facere recusant? Certè indignum facinus est, vos hanc veritatem non fateri, sed potiùs, quo minus à multis ea dignoscatur, operam dare. ALPIN. Hæc doctissimè à vobis prodita fuisse arbitror, veruntamen quoniam cum medicis, Pharmacopolisque incredulis disputatio agitur, quæso si quid aliud apud vos utique sit, quod hanc veritatem ad huc etjam illustrare possit, ne vos me istud quoque docere pigeat, ut posteà quam ego in patriam, Deo concedente, rediero, faciliùs id incredulis illis hominibus possim suadere. ABDEL. Cum anno à Beatissimę Virginis partu M. D. LXXV. Petro Michaele viro Clarissimo, pro Serenissima Veneta Republica cõsulatum hic agente, Eunuchus Messir dictus, Aegypti Præfectus, Cayri civitatis hujus quæpiam loca inviseret, huncque præsertim locum el Mattharia nuncupatum devotionis gratia (quando hanc in proximam domunculam olim Beatissimam Virginem cum puero filio Herodis iram fugiendo se recepisse, multosque annos in ea mansisse omnes Aegyptii opinentur, atque ob id hunc locum in summa habeant veneratione) singulis hebdomadis die Veneris, sacrum, venerandumque hunc locum visitans, viridarium hoc proximè positum aliquandò animi gratia ingressus, vidit omnes Balsami plantas custodum negligentia aruisse; qua re commotus, ut è Mecha quadraginta plantæ afferrentur curavit, eamque operam cuidam militum, ac peregrinorum duci, Mecham singulis annis devotionis gratia proficiscentium, Haly Bei nomine locavit; qui mihi admodum domesticus, atque familiaris fuerat, eumque sæpè ex renum calculo pessimè ægrotantem

inviſeram, ac curaveram; plantaſque illas quadraginta præciſis ramis detulit, quæ in conſueto hujus viridarii loco inſertæ fuerunt, dumque ſererentur, ego unà cum Paulo Mariano eo tempore pro Gallorum Rege Conſule medicinæ quoque cauſa mihi familiari, atque cum multis etjam Cayrinis medicis in re plantaria valdè exercitatis interfui. Ex ipſo autem Haly Bei Cayrum reverſo veri Opobalſami binas vncias dono habui, atque ab alio, qui poſt hunc illud iter confecerat vntias tres. Horrem Bei alius Caravanæ peregrinorum dux meus amiciſsimus, cujus in domo ſæpè tum ipſius, tùm aliorùm cauſa medicinam feceram, peregre anno M.D.LXXX. Mecham profectus, atque ſic à me rogatus, attulit multa ſemina, & ramulos eximium odorem ſpirãtes, atque multum Opobalſami à Seriph Mechæ partim acceptum, cujus modicam portionem dono dedit Franciſco Priolo, tunc temporis Cayri pro Veneta Natione Conſule Clariſsimo, & partim ab iis, quibus Balſami negotium locatum eſt, emptum. Poſtmodum Scander quidam & ipſe dux militum, Medinam Fœlicis Arabiæ urbem pro prætore à Baſſa miſſus, mihi non minùs quàm alii, medicinæ cauſa familiaris, atque etjam quia ex Inſula *Z*acintho à Segurorum familia ortum duxerat, Balſami recentes ramos, fructus, ac ſuccum miſit, ac per literas ſua manu ſcriptas, ſignificavit propriis manibus ibi ea collegiſſe, quæ omnia apud me adhùc aſſervantur. Omnes prædicti nobiles Turcæ uno ore affirmant; propè Mecham & Medinam, in montibus, planis, cultis, atque incultis locis innumeras Balſami plantas ſponte natas ſpectari. plurimaſque etjam in arenoſis, ſterilibuſque locis, quæ tamen vel nihil, vel minimum ſucci producebant. Multa tamen ſemina ferunt, quorum multa copia ad nos quoque vendenda mittitur.

titur. Quales ſunt in monte arenoſo apud Bedruniam Villam poſito. Nihil hæ, atque aliæ in arenoſis, ſterilibuſque locis viventes Opobalſami ferunt, ideo incolæ eas excerpunt, atque pingui in ſolo inferunt, fœcundiſsimasque reddere ſtudent. Addunt, apud omnes Arabes veterum memoriis conſtare, paſſim in pluribus Fœlicis Arabiæ locis innumeras ſponte naſcentes, atque creſcentes Balſami plantas perpetuò vixiſſe, nunquamque illa loca iis caruiſſe. Non multum temporis tamen eſſe, ex quo plurimi eas colere lucri cauſa cæperunt, cum ſcilicet Opobalſami facultas ac vires ad quam plurimas Orientis regiones conceſſerint. Narrant adhuc iidem omnes Arabes, uti Balſami ſucco, fructibus, ac virgis ad componenda ipſorum omnia medicamenta, atque ad alios medicinæ uſus, quæ eadem planè exiſtunt, quibus Ægyptii Syri ad uſum nunc recipiunt, quæque à vobis varia in Europæ loca hinc advecta, negliguntur, atque reiiciuntur, falſaque eorum multi (te auctore) pertinaciter, ac inutiliter eſſe diſputant. ALPIN. Ex his, quæ te vera dixiſſe arbitror, me non parum pudet, quod cum illis tot annos in tanto errore permanſerim. quem ex te nunc probè cognoviſſe fateor. Cupio igitur plantam hanc ſuis notis à te quoque deſcribi, in quam attollatur magnitudinem, qualibuſque floribus, & fructibus obſervata à vobis ſit, quo pactoque etjam ab ea planta Opobalſamum diſtillet, ſponte ne, an, ut multi dixere, arte potius elicitum. ABDACH. Hic nullas, quas ego viderim creſcere, flores, vel ſemina tuliſſe unquam ſpectare potui, etſi ſuccus interim paucus à cortice ſtipitis ſcarificato aliquando diſtillaverit. Verum hac de re Abdellam audiamus, qui hæc exploratiùs, & reliqua docebit. Interimque dum loquimur, mandes velim mancipio tuo, ut nobis hic è

domo hujusce plantæ iconem, quæ apud te est, deferat, ut Alpinus noster veram Balsami Iconem videat. ABDELL. Recte mones, libenterque faciam. ALPIN. Ego vero utriq; vestrum multas hac de causa gratias referam. Mihique istuc acceptissimum semper erit.

Planta, quæ ab antiquis Arabiæ medicis Balessan, à Græcis βαλσαμον, & à Latinis Balsamum vocabatur, fructuum, succique descriptio. Cap. III.

ABDELLA.

BALSAMVM arbusculum est, quod crescit ad altitudinem Hanne; vel ligustri, vel cytisi, folia paucissima gerens rutę proxima, non tamen iis candidiora, ut Dioscorides docuerat, sed potiùs colore viridi subalbido, perpetuòque virentia. Ejus lignum gummosum leneque apparet, colore exterius subrubro, cujus ramuli eodem colore conspicui sunt longi, recti, graciles, paucis foliis inordinatim referti, foliaque simul terna, aut quina, aut septena alę adnati, aliquo pacto etjam lenthisci foliorum ęmula. sunt ramuli odorati gummosi, digitisque contrectati eis tenaciter adhęrentes. Flores fert parvos, albos, Acacię proximos, ternos singulis alis appensos, quasi in umbellę forma, summè odoratos, à quibus semina promanant, flava, folliculis nigris subrubescentibus contenta, valdè odorata, intusque humorem flavum melli persimilem habentia, sapore subamaro, parumque acri linguam ferientia, Opobalsamumque redolentia, Terebinthi fructuum figurę, & magnitudinis ęmula, extrema aculeata, & medium crassum obtinentia. Cui descriptioni maximè

qua-

quadrare videtur illa, quæ fuit à Constantino Aphricano tradita, quæ his verbis apud ipsum in libro de grad. legitur. » Balsamus est arbor in India crescens, saliens super terram » mensura unius brachii, vel parum plus. Cujus rami rubeo » viridique colore perfusi quasi rami thitymali tenues sunt, & » colorem viridem habentes faciuntque in capite quasi gem- » mas, parvaque grana in modum piperis producentes. Ex fis- » suris ramorum hujus arboris, egreditur quidam liquor in canicularibus diebus, sicut lac ex Titymalo. Opobalsamum mensibus, Iunio, Iulio, Augusto, partim sponte, & partim stipite ferro scarificato, distillat, in vitreaque vascula recipitur; quod statim eductum, ut audio, colore est albo, qui paulò post in viridem, tertiò in aureum, & demùm in melleum mutatur. Ejus succi etjam substantia in primis, turbida crassaque, ut oleum statim ab olivis expressum cernitur, posteà tenuissima atque clarissima, demum terebinthi modo crassescit, odore eximio in primis atque ac utissimo terebinthùm redolens, cum suaviori odoris fragrantia observatur, saporeque amaro, acri, & adstringenti. Levissimum est in primis diebus, atque usque adeo validi, & acuti odoris, ut aliquibus inter odorandum, sanguis è naribus eruperit, & præ multa ejus levitate in aquam stillatam non desidet, sed ex alto in ea projectum parumper in ipsa mergitur, fereque continuò assurgens, supra totam aquæ superficiem totum expanditur, eique miscetur, & citissime ita in ea dissolvitur, ut ab aqua maxima cum difficultate separatum secernatur. in qua paulò post concrescit, atque coagulatur, coagulatumque stilo totum ab aqua eximitur, quod tunc colore lactescit, sive album quale lac visitur. Quanto hic succus annosior, eò fit inodoratior, atque ad motum segnior. In primis itaque statim

albo

albo colore conſpicitur, qui color paucisſimis diebus in viridem, ut nuper etjam dixi, mutatur, oleique craſſitie cernitur, qui poſtea longo temporis intervallo depuratur, nonnulliſque annis tenuisſimus evadit, atque clarisſimus, ex viridique colore in aureum ſplendidisſimum tranſit. Senio vero confectus, craſſus qualis terebinthina fit, qui ſi in aqua, vel lacte ſtilletur, ſtatim conſidet, multaque cum difficultate, & non niſi longo tempore denuò ſupra aquam fertur, tardisſimeque in ea diſſolvitur. Quare non ſecus quam in animalibus omnibus quatuor conſtituuntur ætates, quæ in ipſis maximam differentiam faciunt, & Balſami ſucco, quod Opobalſamum dicitur, proculdubio à noſtris quatuor tempora tribuuntur. Quandoquidem ille ſuccus ab arboris ſtipite, continuò elicitùs uſque ac quintum circiter annum acutisſimi, validisſimique odoris percipitur, levisſimuſque uſque, adeò obſervatur, ut in aquam ſtillatus, nihil, vel parum conſidat, facillimeque diluatur, quod ejus calor in annis infantiæ plurimus exiſtens, ei acutiem atque vehementiam præſtet, Craſsiori quoque ſubſtantia tunc cernitur, & turbida, quod cum multus in eo exuberet crudus humor, eo ob calorem in ipſo agentem valdè agitato, inſtar urinæ turbidæ, quę in peſtilentibus febribus fieri ſolent apparet, & quemadmodum puerorum corpora multa humiditate, atque multo calore prædita craſſa, ac ferè tumentia videntur, ita Opobalſamum in pueritiæ annis conſtitutum à multa humiditate excrementia, cum validisſimo calore in ipſa agente, craſſum, ac turbidum apparet, quod in grandiori ætate ab ea purgatur, tenuisſimumque fit, & aureo colore clarisſimo ſpectatur; in quo ſtatu, conſiſtentiæ ipſius ætate continuante, conſervatur, poſteaque calore ejus nativo aliquatenus reſoluto, ac

im-

imminuto, ſeneſcens craſſum inſtar terebinthinę evadit, ſolitoque tùm odore eximio tùm levitate deficit. Proinde neque ſupra aquam enatat, neque multum, & ſuaviter olet. Hæcque de Balſami planta, fructibus, lignis, ſucco tibi dicta ſufficiant. ALPIN. Quæſo ne te pigeat, ad nonnulla adhuc, quæ à noſtris, Balſami deſcriptioni repugnantia proferuntur, reſpondere, ac ſatisfacere, quando ea non parum hujuſce plantæ cognitam veritatem obſcurare, ancipiteſque nos reddere videantur. Antiqui etenim omnes Balſami ſcriptores inter ſe in illiuſce plantæ, ſucci, fructuum, virgarumque deſcriptione diſcrepare videntur, ex quibus non videtur, tutum ſatis eſſe illlorum cognitionem perquiri debere. Qui fuere in cauſa, ut noſtri ipſorum traditionibus imbuti, verum ſibi oblatum Opobalſamum, fructus, virgas, veras eſſe non crediderint. ABDEL. Summum ſemper errorem eſſe putavi, homines plantæ hujus, ſucci, fructuum, virgarumque cognitionem à Dioſcoride, Theophraſto, vel aliis antiquis ſcriptoribus velle expoſcere, quando iſta inter eos in ſcribendo fructice, ſucco, fructibus, & virgis, diverſitas certiſsimum ignorantiæ argumentum nobis fuerit. Ego ſum hujus ſententiæ, neminem illorum fortaſsè accurate arborem hanc vidiſſe, ex audituque omnia de eis ab ipſis litteris prodita fuiſſe. Olim enim non erat ita facile hominibus loca, in quibus Balſamũ naſcebatur, ex longioribus difficilioribuſque navigationibus, quibus eo tempore antiqui utebantur, adire, proinde multa Dioſcorides, Theophraſtus, atque alii multi ex hominum potius relatione, quam ex inſpectione de Balſamo ſcripſere. Hincque mirum non eſt, ſi in pluribus noſtri ipſorum ſententiæ inhærentes decepti ſint, quando & ipſos à falſis aliorum relationibus deceptos fuiſse putandum eſt. An non Dioſcoridem,

ridem, Theophrastum, atque alios affirmantes. Balsami plantæ Aegyptum, vel Iudęam patriam fuisse, cum dixerint eam solum in Aegypto & valle Iudęa vivere, maximè errasse superius demonstratum est, cum illam plantam ex Aegyptiorũ relatione perpetuò ex Arabia fœlici in Aegyptum venisse, certissimè constet? Ex quibus mirum quoque non esset, in aliis eosdem deceptos fuisse, pręsertimque in succi, fructuumque cognitione. Hincque his herbarum scriptoribus omnes medicos Pharmacopolasque planè fidentes, errasse mirari non debemus, quando non ab illis, ut etjam dixi, sed ab Aegyptiis, & Arabibus, qui tum primi Balsamum cognoverunt, atque observarunt, tùm etjam cum hujusmodi planta in eodem solo nati sint, atque eadem loca, in quibus vivit, & vixit Balsamum, habitarunt, istorum cognitio esset petenda. Sed quæ ea existunt, quæ nobis repugnent, fac ut ex te jam audiamus. ALPIN. Quæ de Balsami arbore à multis olim litteris tradita fuere, nunc in medium afferam; Reliqua verò de succo, fructibus, virgis, ad usum medicinæ memoriæ proditis, posterius à me recensenda arbitror. Multa igitur, variaque de hujusce stirpis magnitudine, figura, situ, foliisque à multis prodita sunt, quæ non parum veritatem obscurant, hominesque ancipites, ac rem hanc totam incertam efficiũt. Aliqui siquidem plantæ istius magnitudinem Lycii, Pyracanthæ, vel Cytisi, vel therebinthi magnitudini compararũt, ut Dioscorides, Straboque dixere. Theophrastus vero dixit, ea magnitudine Balsamum spectari, qua magna mali punici arbor observatur. Iustinus similem piceis arboribus affirmavit, & Pausanias mirtho; Plinius, Solinus, atque Africæ descriptionis auctor, viti, hanc plantam compararunt. De ejus foliis non minor est apud illos diversitas, deque arboris figura.

Quan-

Quando Dioscorides, Theophrastus, Plinius, Avicennas, Simeon Sethus Balsami folia rutæ, proxima esse statuerint, & Pausanias amaraco, Iustinus piceis, Solinusque & auctor Aphricæ vitium foliis. De forma etjam vel figura arboris, alii arbustum, alii fruticem faciunt. Plinius enim de eo dixit: In totum alia est natura, quam nostri, externique prodiderunt, quippè viti similior est, quam myrtho, quod etjam Solinum dixisse ab illiusce verbis constat, quæ hæc existunt: Similes vitibus stirpes habent: ac Iustinus; Siquidem palmeto & Opobalsamo distinguitur arborem. Opobalsami formam similem piceis arboribus habent: & Strabo: Quæ arbor est fruticosa Cytiso & Terebintho persimilis. Nonnulli etjam affirmant, plantam hanc ali aqua, illaque tantum, quæ in proxima fonte illiusce proximæ domunculæ scaturire cernitur, ajuntque miraculo id fieri; quando ipsa sit pluribus virtutibus prædita, quòd Virgo Beatissima olim ibi multos annos morata, ea aqua, tùm ad potum, tùm ad cibum, tùm ad mundandos panniculos Iesu Christi pueruli usa fuerit: ex quo tanta in veneratione omnes viri mulieresque Aegyptię, Arabes etjam Mahometis asseclæ eam habuerunt, ut ipsa ad multorum etjam morborum curationem confidenter utantur. Multique ex longinquis, remotissimisque locis hùc veniunt, ut ex hujusmodi aqua accipiant: quare nonnulli Balsamum hujus aquæ beneficio hactenus hic vixisse ajunt. Hæcque sunt, quæ de arbore isti dicunt. ABDEL. De Balsami fruticis altitudine, figura, ac foliis, ea quæ ex te nunc proposita sunt nihil veritatem hanc obscurare posſunt. Namque Dioscorides, atque alii, qui hanc plantam magnitudine similem esse lycio, Cytiso, terebintho, & pyracanthæ, affirmarunt, minimè errarunt, cum hæc omnia arbusta magni-

tudine non multum interse differant, eisque planta Balsami major non sit, sed hic nullæ cernuntur arbores Balsami, quæ ita magnæ spectentur, siquidem grandiores, quas hic aliàs viderim, non assurgunt ad majorem trium cubitorum altitudinem. Audio tamen in Arabiæ solo eas plantas ad prædictorum arbusculorum altitudinem, & majorem etjam excrescere. In Aegypto, & Arabia mali punici arbores parvæ existunt, ita, ut inter arbusculorum fruticumque numero ibi connumerentur, neque ad tantam assurgunt altitudinem, quales in Italiæ locis observantur, Quare neque Theophrastus reprehendendus erit, quòd scripserit, esse magnæ punicę arbori Balsamum simile, quando hæ nostræ Italicis longè sint humiliores. Iustinum verò, quod picei arbori plantam Balsami similem asserat, deceptum omninò fuisse, credendum est. Ex ipsiusquè verbis error apparet conspicuus; nam piceis arboribus Balsamum similem esse dicens, subdit, & in vinearum more excoluntur: quis tamen uspiam vidit piceā arborem viti similē, & in vinearum more excoli? Inter quas quanta sit differentia, non est, quod nunc demonstretur. Fuisse verò Balsami plantam ramulis fruticosis, ac sarmentosis viti similem dubium quidem non est, ut neque etjam, quemadmodum vites, annis singulis putari, quod sit admodum fruticosa, & sarmentosa. Non tamen quod ad folia attinet, viti ea planta est similis, cum foliis referta sit rutæ aliquatenus proximis, præsertim verò extrema tria foliola, quæ in singulis virgæ Balsami alis cernuntur, quando ipsa simillima sint tribus iis foliolis in extremo virgæ alæ rutę positis; colore excepto: Neque absurdum est, Pausaniam dixisse Balsamum folia habere amaraci æmula, quoniam suspicor ego ipsum plantam Balsami non adultam, sed tantum recentem

ex

ex ejus ſeminibus natam inſpexiſſe, quæ folio, magnitudine, ac figura amaraci foliis omninò ſunt ſimilia, excepta earum craſsitie, ac colore, quibus ea folia invicem differunt, nam in amaraco ſunt graciliora, & albidiora. Balſamum, quod ex ſeminibus naſcitur, bina folia in primis habet, bifoliis naſcentis vitis maximè ſimilia, & quæ poſt hęc, quę ſunt tria, quatuor, vel quinque, produntur, amaraci foliis ſunt proxima. Quę verò tertio naſcuntur ſingula trina exiſtunt, rutęque proxima cernuntur. Repeto, prima naſcentia folia bina ſunt, ſecundo nata, his multum diverſa produntur, inordinatimq; in virga. Tertio producta trina cuilibet alę appenſa, cernuntur, quę rutę ſunt proxima, tribus inquam foliolis in extremo alę virgę rutę conſpicuis. Quarto, quę naſcuntur in virga Balſami, ſunt quina, & poſtea ſeptena. Hęcque ſunt Balſami folia, aliter quam Scriptores antiqui deſcripſerint in hoc viridario in fruticibus Balſami ſępiſsimę viſa, ex quibus atque aliis fortaſſe Dioſcoridem, atque alios multos antiquos Scriptores viventem Balſami plantam non inſpexiſſe, jure ſuſpicamur. Hanc etjam arborem in hoc viridario vixiſſe certū eſt, aqua ex hoc proximo fonte, in quo Beatiſsimam Virginē panniculos Salvatoris noſtri pueri olim perpetuo laviſſe noſtri omnes autumant, irrigatam; tamen in arenoſis, ſqualidiſque locis non paucę reperiuntur, quę tamen quo ad Opobalſamum ſteriles exiſtunt. Atque hęc obiter de Balſami planta dicta à nobis ſint. Nunc ad Opobalſamum deveniendum. Sed Balſami plantę ramos, quos mihi domo mancipium detulit, abſoluto de ipſo ſermone ſpectabimus.

Veri Opobalsami cognitio undè sumatur, & qui ex antiquis verè hunc succum litteris prodiderint. Cap. IIII.

ABDELLA.

QVID inquies Alpine de Balsami planta? nonne à nobis probè, ut veritas exigebat descripta est, deque ejus foliis, floribus, fructibus, ac virgis, quę dicta a me sunt, vera tibi esse videntur? ALPIN. Omnia sanè rectissimè, ac verissime es prosecutus, sed supersunt tamen quępiam de succo quoque, fructibus, ac virgis dicenda, cum antiqui Scriptores, qui de Balsamo scripsere, simul in horum descriptione inter se nihil ferè convenisse visi sint: quorum diversitas, ut de arbore etjam nuper dictum est, fuit causa, ut multi negarint, quę pro Opobalsamo, Carpobalsamo, & Xylobalsamo monstrantur, vera utique esse, nullumque ob id ipsos credere, syncerum ac legitimum Opobalsamum ad nos asportari: de quo primo sermonem à nobis haberi cupio, mox de cęteris. De Opobalsamo igitur multi hujus sunt opinionis, ut arbitrentur, syncerum ad nos non advehi, neque injuria, quando ex te descriptum Opobalsamum, à nobisq; sępius inspectum, diversum sanè videatur ab eo, quod omnes prisci rei herbarię Scriptores memorię mandarunt. In primis « enim album, multi ipsorum, esse prodidere, Strabo siquidem « dicebat: ejus corticem scindentes succum in vasis suscipiunt « tenaci lacti persimilem: & Plinius, succus è plaga manat, « quem Opobalsamum vocant eximię suavitatis, sed tenui gut« ta ploratu lanis parva colligitur in cornu, ex his novo fictili « conditur, crassiori similis oleo, & in musto candida. Et Simeon

meon Sethus vir in Balſami hiſtoria aliis non poſtponendus, dixit: Succuſque inde manabat omni oleo viſu ſimilis, quod ideo Balſami oleum nominatur, ſuccus his aggregatus vaſculis excipiebatur, & id quidem, quod ſupernatabat, album ac tenue erat, & ideo precioſius: Alii ſunt ruiſus aſſerentes, hunc ſuccum non eſſe tenuem, ſed craſſum, veluti qui dixere in conchis ſuſceptum coagulari: Cum verò Opobalſamum, quod tu deſcripſiſti, & nos ſæpè inſpeximus, vel viride, vel aureum, vel mellis colore obſervetur, interdumque turbidũ, interdum clarum, ac tenue, aliquandoque ut terebinthina craſſum cernatur, (nemo enim noſtrum eſt, qui eum ſuccum tot prædictis differentiis evariatum non viderit ſcilicet oleoſum, viride, aureum, ac melleum, clarum, turbidum, tenue, craſſum,) de ipſo varios, & dubios eſſe mirum non erit.

ABDACH. Facile has ambiguitates noſter Abdella ex animis noſtris abiget. Præſertim cum harum explicatio ex iis pendeat, quæ dudùm ipſe attulit. Dixit enim Opobalſamum iuxta ejus ætates varias, variari & ipſum, quo ad colorem, ſubſtantiam, perſpicuitatem, odorem, & levitatem; continuoque à ſtipite inſtillatum ac exceptum, albo colore conſpici, præſertimque quod ſupra enatat, veluti minus quod ſubſidet, qui color paululo momento in ſubviridem oleoſum mutatur qui poſt quinquennium, ut ſuperiùs etjam dictum meminimus, aureus fit, ac demum ſenio confectus craſſeſcens, mellis colorem, obſcuriorem tamen accipit Tot etjam mutationes in perſpicuitate, ſubſtantia, odore, levitate, ejus varias ætates facere aliàs dictum eſt, quandò Opobalſamum recenter eductum per quinquennium turbidum maneat, à quo tempore clareſcere incipit, per decenniumque ferè ipſum clariſſimum, ac ut aurum ſplendeſcere obſervatur, poſtea ſeneſcens

ſcens turbidum rurſum evadit. A ſtipite etjam ſtatim exceptum tenuiſsimum eſt, pauloque poſt parum craſseſcit, atque hinc Strabo dixit, ſuſceptum in conchis coagulari, peractoq; quinquennio, quod tempus pueritiæ datur, purgatur, fæcemque in fundum vaſis deponit, tenuiſſimumque fit, & totidem geminatis peractis annis ſeneſcens craſsum, craſſiuſque eſt, quo annoſius. Odor non minus & ſapor, in recentiſſimo validiſſimus eſt, in medio tempore odor fit ſuavior, thus ac terebinthum redolens cum ſuaviori tamen odoris fragrantia, ſapor eſt amarus, ſub acris, atque adſtringens. Demum ſenio omnia hac maxime remiſsa percipiuntur. Hincque Plinium deceptum fuiſse arbitror, qui putaverit, optimi hujus ſucci lachrymam fricando percipi odoratam Si quidem Opobalſamum ſenio ſolummodo confectum inodoratum fit, ut tūc ſolum frictione dignoſci queat. In principio etjam hic ſuccus leviſſimus eſt, qui quam maxima difficultate in aqua, vel alio liquore inſtillatus conſidat, ſed continuò in aquæ ſuperficiem feratur, citoque cum aqua diſsolvitur: annis verò conſiſtentiæ medio ſe habet modo, ſeneſcenſque, colore ejus imminuto, craſseſcit, quo fit ut ſubito in aquam projectus conſidat, tardiſsimeque ſurſum in aquæ ſuperficie feratur, difficillimeque ac tardiſsime cum ea diſsolvatur. Hæcque etſi non ita concinna oratione, tamen ad tuarum difficultatum explicationem accommodata ſatis eſse Abdella noſter judicabit. ABDELL. Ego verò ſic ea vera judico, ut omnes, qui de Opobalſamo ſcribentes, aut loquentes ab his diſsenſerint, rem prorſus ignorent, ex quibus Plinium ex variis coloribus, ac ſubſtantiis in Opobalſamo inſpectis, varias ejuſce ſucci differentias vel ſpecies facientem erraſse clariſſime patet; dixerit enim ille: „ Lachrymæ probatio, ut ſit

pinguis

pinguis, tenuis, ac modice ruffa, & in fricando odorata, secun- "
dus candidus color pejor viridis, crassusque pessimus niger. "
Nemo Aegyptiorum, vel Arabum album Opobalsamum nisi ex arbore recentissime stillatum vidit, qui tamen color quam paucissimis diebus evanescit, atque, ut dictum est, in olei colorem vertitur, atque ab eo colore in aureum, & denique in melleum obscuriorem. Nigrum verò nunquam ab aliquo nostrorum, vel Arabum visum est, neque auditum. Nisi fortasse produceretur novissime ab Occidentalibus Indiis delatum, à quibusdam pro legitimo Opobalsamo, ut superiùs quoque meminimus, receptum. Quod tamen falsum esse planè constat, cum ii, qui ejus historiam scripsere, affirment illum succum impropríe Opobalsamum vocatum, in Occidentalibus Indiis ex procera, ac magna arbore nasci, quæ quidem magnitudine, figura, ramis, foliis, fructibus à vera Balsami arbore longissime differt. Quod iis qui utramque norunt arborem, non erit difficile suadere. ALPIN. Simeon Sethus confirmare & ipse videtur, optimum Opobalsamum recentissime à stipite distillatum album colorem habere, nec non, & Strabo, qui Opobalsamum lacti similem esse scribit. Sed quamquam hujusce succi albus color pauculis diebus a stillatione evanescat, atq; in alium colorem mutetur, nihilominus, quod non paucis valde admirandum videbitur, Opobalsamum oleoso colore inspectum, in aqua vel lacte stillatum, album rursum videri: & idem etjam facere aureum, & melleum, perpetuoque verum Opopalsamũ cujuscumque coloris sit, in aqua, vel lacte stillatum, ac liquatum album spectabitur. Hincque Dioscorides doctissime dixit: Quin etjam syncerus in aqua, aut lacte celerrime li- "
quatur, coloreque lactescit. Nunquam quisquam Opobal- "
samum

ſamum viſui non album, album eſſe judicarit, quod tamen verum eſſe experiẽtia docebit, ſi, inquam, quis ſinet ſtillatum in aqua, liquari, ac coagulari, ipſum etenim liquatum ſupra aquam ita album redditur, ut vix ab aqua diſtinguatur, ſed paululo momento in ea coagulatur, eique inſtar telæ albæ incumbere, & in ea ſupernatare cernitur, manifeſtiorque ejus albus color fiet, ſi coagulatum ſtilo quopiam ab aqua eximatur, aut extrahatur. Sed hęc illius ſucci experientia per æſtatis tempus eſt facienda, vel ſi hyeme, prope ignem, Opobalſamo probe prius calore attenuato. At cur ex albo tam citò in alium colorem mutatur? ABDEL. An quod lactei illiuſce coloris ſubſtantia mollis, ac tenuiſsima, quam citò reſolvitur ac diſsipatur? vel quia nondum ejus calor prævalidus in eum ſuccum agendo ipſum turbavit? Idem in Zebet obſervatur, etenim ſtatim è teſtibus extractus lacteo colore inficitur, pauloque ebullire incipiens, vireſcit, & tandem ſubnigreſcit. ALPIN. Rectè ſunt à te hactenus explicata, & enarrata omnia. Nunc igitur ego idem à te fieri cupio, pro indagandis, ac docendis notis vel ſignis, quibus verum à non vero, ſyncerum ab adulterato rectè diſtinguatur.

De notis, quibus verum Opobalſamum à non vero, ſyncerum ab adulterato tutò cognoſcitur, ac diſcernitur. Cap. V.

ABDELLA.

HIS notis quiſque probè ac exactiſsime verum hunc ſuccum, à non verò, & legitimum ab adulterato dignoſcet, neque ab aliquo ita facile decipi poterit, etenim ſuccus,

cus is, qui nondum ad ſenium, inclinare cœperit, colore albo conſpicitur (quod rariſſimè, & non niſi dum ipſum è ſtipite ſtillat, vel recentiſsimè eductum videre contingit) vel viridis eſt, oleoſus ſubturbidus, oleoque ſubſtantia & colore valdè ſimilis, vel aureus fulgentiſsimus, tenuiſsimus, atque clariſſimus. Qui ſanè omnes has notas habebit, vehementis erit odoris, & quo magis etjam recens eſt, acutioris, terebinthum cum alio ſuaviori odore redolentis, gratiſsimuſque olfactui erit. Guſtu etjam ſubamarus, adſtringens, & modice mordens percipietur, lævis, diluique facilis, quæ nota, eo inſtillato in aqua vel lacte dignoſcetur, lævis enim exſtabit, & vel nihil ſub aqua morabitur, vel parum, & quaſi continuò ſupra eam ſurſum aſſurget. In qua citò diluitur, vel liquatur, nil vnctuoſi retinens, vel oleoſi, tenax, ſive lentore aliquo præditus eſt. hiſque omnibus notis verum, ſyncerumque Opobalſamum ſemper omnibus apparebit. ALPIN. poſſit ne quis aliquod factitium oleum ita ſimile Opobalſamo parare, ut eo multos decipiat? ABDEL. Sine dubio, cum Gal. ſuo tempore etjam ipſum uſque adeo adulterari dixerit, ut vix adulteratum cognoſceretur. Veruntamen quod adulteratur, neceſſe eſt, ut aliquo liquore, vel oleo, vel unguento vitietur. Dioſcorides dixit, Opobalſamum vitiari poſſe admiſto teribinthi, cypri, lentiſci, balanique unguento, & ſuſino, metopio, melle, cypriaque cera liquida. Serapio his addidit oleum roſaceum, myrtinum, & de alcanna, quod cyprum appellant. Plinius ex ſeminibus veri Balſami, quæ vocant Carpobalſamum, extrahi ſimile oleum aſſerit, qua via multi ex ipſis oleum exprimunt, vero Opobalſamo admodùm ſimile; quod tamen ab eo diſcernitur amariore ſapore, odoreque Opobalſami longè obſcuriore. Prodit etjam ipſum adulte-

E rari

rari posse oleo rosaceo, cyperino, lenthiscino, balanino, terebinthino, myrtino, resina, galbano, & cera cypria, quę sanè eadem existunt, quorum nuperrimè Dioscoridem subnomine vnguentorum meminisse, dictum est. Sed forsitan melius ipse dixisset, oleis, quàm unguentis adulterari posse, quod ille succus tenuis perinde ac oleum sit, minimeque crassus, nisi senio fuerit confectus. His igitur Opobalsamum vitiari potest, cujus maleficium facilè deprehenditur, oleoque adulteratum trifariam detegitur, atque in primis, quod digitis cõtrectatum, nullo lentore, vel viscositate adhæreat, quando verus Balsami succus lentore, ac viscositate quapiam non carere à nobis aliàs dictum sit, à multisque ex antiquis scriptoribus confirmatum, oleo siquidem resinarum omnium tenacitatem abigi omnibus manifestum est. In aqua præterea instillatum supra ejus superficiem orbiculorum formis expandi nemo nostrum ignorat. Quod syncerum Opobalsamum non facere posterius docebitur. Demum in panno oleo infecto macula relinquitur, quæ & difficile aufertur, & quotidie etjam magis majorem in circulum expãditur, quòd non fit in sincero Opobalsamo. His igitur notis Opobalsamum oleo vitiatum cuique patere poterit. His etjam comperietur vitium, si unguenta iisdem oleis composita misceantur, sed hoc amplius iis aderit, quod in Opobalsamo parvi temporis spatio in fundo vasis unguenta sidere necesse est. Cera vero mistum comprehendetur turbido colore, nunquã clarescente. Melle etjam infectum dulcis sapor detegit, atque ad ipsum, ut Plinius quoque testatur, muscas alliciet. Resina adulteratum in carbones instillatum, nigriorem flammam edit, substantiaque crassiore quàm in syncero sit, spectabitur. Syncerum vero his notis innotescet, namque præter ea signa,

ſigna, quæ illum iuxta varias ætates præſeferre diximus, hęc etjam addidimus, ſcilicet præterquam quod ſit validi odoris, in aqua etjam ſtillatam, tametſi parva ſatis ſit gutta, ſupra totam aquæ ſuperficiem expandi, eamque liquatum totam ſupernatare, ac obtegere, atque in ipſa ętjam citò coagulari, lactiſque colorem adipiſci; ac non minus ex ipſa coagulatũ totum ſtylo quopiam excipi, ac auferri, quodque fuſum in laneam veſtem, eam, ut oleum non inficit, quamquam ei adhæreat. Lacque coagulat, etſi non ita, ut coagulum facit, quia lac non perfecte coagulat, quinimo cum ipſo coagulatur. ALPIN. Multo plura, quàm tu de ſynceri Opobalſami, ac vitiati notis complexus es, apud multos leguntur. Dioſcorides ſiquidem hæc utique nobis prodiderat. Succi probatio eſt, ut ſit recens, validi odoris, Syncerus, non ad acorem vergens, dilui facilis, lævis adſtringens, ac modice mordens guſtu. Et ubi ea, à quibus Opobalſamum poteſt adulterari meminerat, hæc ſubjunxit. Namque merus in laneam veſtem fuſus neque maculam facit, neque ſi eluatur notam relinquit. Vitiatus autem inhæret, & lac inſtillatus coagulat, quod adulteratur non efficit. Quin etiam ſyncerus in aqua, aut lacte celerrime liquatur, coloreque lacteſcit, vitiatus verò olei modo innatat, ſe convoluens, aut in ſtellæ modum diffundens, ſyncerus ſeneſcens craſſeſcit, deteriorque redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum peſſum ire & ad ima ſidere, arbitrantur, poſtea diſsipatum ſupernatare. Et Plinius ait, ſyncerum inhæreſcere, & in tepida aqua ejus guttam coagulari, & ad ima ſidere, lac coagulare, & in veſtem maculã non facere. Et Avicennas: lac coagulare, aquæque ipſum miſceri, & in ipſa denſari, denſatumque conſervari, atque à goſſypio receptum ablui poſſe. Serapio eadem à Dioſcoride

„ jam recitata, de ipſo nobis prodidit. Simeon verò Sethus hęc
„ & ipſe ſcripſit. At verò nonnulli hac ratione probant, quod
„ ferrum eo inunctum igniqᵫ ad motum incādeſcat, id quod
„ & oleo caphuræ, aliiſque dictis oleis accidit. Alii qnod in
„ aquam datum minimè ſupernatet, ſed ſtatim fundum petat.
„ vere hoc quidem, ſed enim quando hæc duo concurrunt, vi-
„ delicet ferrum candeat, & in aqua facile ſubſiſtat, de eo ſta-
„ tim arripe. Eſt enim legitimum, & non factitium Scire au-
tem præterea oportet, quod dùm recens eſt, & in proprio vi-
gore ſuper aquam enatat actum ita probatur. Linteo in eo
irrigato, ac poſtea ſublato à linteo totum recedit, non colo-
rem, ſed odoris duntaxat ſuavitatem illi relinquens. Hæc
omnia, ac inter ſe admodum diverſa cum apud hos graviſſi-
mos plantarum Scriptores legerim, atque Opobalſamum,
quod tu vere ſyncerum affirmas, apud me ſit, non omnia que
ab his Scriptoribus de eo perdocta, repræſentet, quinimo
aliqua ſint, quibus ipſum planè non reſpondere videatur;
quamquam enim ipſum recens ſit, minimeque ad ullum
acorem vergens; validique odoris, oleoſi coloris, turbidum
in primis ejus annis obſervatum, mox clarum, aureum ſuba-
marum, adſtringens, & modicè mordens guſtum, tenax, le-
ve, dilui facile, lacque coagulet, & linteum non inficiat, atq;
ut ait Avicennas, aquę etjam ſtillatum, miſceatur, in ipſaque
coaguletur, ſupraque aquam coagulatum enatet, atque eo
etjam ferrum, ut Sethus ipſum hac experientia cognoſcen-
dum voluit: inunctum probè in ignem poſitum candeat.
Tamen, quod apud omnes prædictos antiquos Scriptores
affirmatur, quippè ipſum laneæ veſti inſtillatum aqua ablu-
tum, omninò ab ea abigi poſſe, nihilque ei adhærere, num-
quam potui obſervare. Nullum enim reperitur Opobalſa-
mum

mum quod inſtillatum in pannum, ei aliquatenus non adhæreat: ex quo ego etjam puto, nullum verum Opobalſamum eam experientiam facere poſſe, quando ipſum; ut in aliis omnibus reſinis obſervatur (cum ſuccus reſinoſus ſit, interreſinaſque poſſit ſine errore recenſeri) viſcoſitatis ac lentoris non ſit expers. Ex quibus valdè de hujus ſucci ſigno, ab antiquis ferè omnibus animadverſo dubius, ac anceps ſum. Cupioque tuam hac in re ſententiam audire, ut in ea tādem acquieſcam. ABDEL. Dignus es cum iſto tuo ſcrupulo non parva reprehenſione, qui uno ſigno magis quàm pluribus, quibus tuum Opobalſamum omnibus probè reſpondere ſcis fidere volueris, quod neque verum ſignum hujus ſucci dicendum eſſe puto, ſiquidem quo pacto hic ſuccus lentoris, ac viſcoſitatis non expers, (cum ipſe nihil quidem aliud quàm reſina quæpiam ſit) lineo, vel laneo panno, vel goſſopio inſtillatum aliquantulum non adhærebit? Etenim non modò ſuccus iſte tenax eſt, ſed ramuli quoque virides, ſi digitis contrectentur, eis proculdubio adhærent, quod non nos modo, ſed etjam aliquos antiquorum noviſſe certum eſt, nonne Strabo dixit: Ejus corticem ſcindentes ſuccum in vaſis ſuſcipiunt tenaci lacti perſimilem. Quid? nonne Plinius notas ſynceri Opobalſami docens dixit? Succum Balſami ſyncerum debere inhæreſcere? At ne amplius remorer deſideriū tuum, paucis de nota hac à Dioſcoride propoſita dicam, quid ſentiam. Puto enim ſyncerum Opobalſamum non aliam ob cauſam, Dioſcoridem, atque una cum eo alios dixiſſe, veſtibus vel panno non adhærere, niſi ut nos docerent miſtum aliquo oleo, vel quopiam unguento hinc deprehendi, quoniam, ut ego nuper etjam vos docui (quod à pleriſque oleo eo tempore vitiaretur) oleo vitiatum in pannum inſtillatum, laneum-

laneumque præsertim, quod faciliùs sit ad emaculandum, instar olei inficit, eique perpetuò non modo adhæret, sed quotidie magis in eo recepta macula augetur, ac dilatatur. At syncerum, quamquam paululum panno etjam instillatum inhæreat, tamen ipsum ut oleum non inficit, neque maculam relinquit, quinimo secus atque oleum panno adhærescens quotidie decrescit, usquequo tandem omnino aliquo tempore sponte dissolvatur, atque evanescat. Quamobrem syncerum Opobalsamum panno quidem, at non olei modo adhæret, neque aliquam maculam relinquit. Quod sæpè vobis meum Opobalsamum in meam vestem instillatum ostẽdit. Verum non debet hoc experiri in pannis iis, quos vos in Italia paratis, nostris longe crassioribus, in quibus fortassè cum olim vestri hi crassi panni lana parati ex Italia huc non asportarentur, neque nostri his, ut nunc faciunt, uterentur Dioscorides in his periculum faciendum, non sentit, sed in nostris iis longe gracilioribus. Clarius verò hoc signum Plinius docuisse est visus, cum dixit, & in veste maculas non faciat, non autem, ut in Dioscoride habetur, vesti nõ adhęreat. Verius fortasse Sethus Opobalsami cognitionem ex hoc signo habendam tradidit, quod his verbis apud ipsum legitur: Linteo in eo irrigato, ac postea sublato à linteo totum recedit, non colorem, sed odoris duntaxat suavitatem relinquens: quod planè in nostro sic ad unguem observari licebit. Cœterum ex his, quæ ita diverse de notis verum Opobalsamum à falso distinguentibus, apud diversos antiquos Scriptores leguntur; dubitandum non immeritò à nobis existimo, hosce authores nunquam fortasse, neque viventem plantam uspiá offendisse, atque multo minus syncerum ejus succum inspexisse, cunctaque potius aliorum relatione, quàm vera obser-

va-

vatione de eo ab his prodita fuiſſe. Qua de cauſa non ab antiquis Scriptoribus, inter ſe de Balſami hiſtoria diſcordantibus veritas, hæc petenda eſſet, ſed ab his populis, præſertimque Medicis, qui loca in quibus Balſamum, omnium Scriptorum conſenſu, vixit, perpetuò habitarunt, & ſæpiſſime obſervarunt. His etenim iure meritò de ipſo firmior fides habenda erit. Hi ſunt Aegyptii, atque Arabes, qui omnes uno conſenſu aſſerunt, hoc excepto Opobalſamo, quos vos verum eſſe non creditis, nullum aliud uſquam vel in toto Ægypto, vel in tota Arabia, vel Syria, fuiſſe cognitum, aut uſitatum. Cujus veritatis clariſſimum ac certiſſimum ſignum erit, aliud Opobalſami genus ab hoc diverſum, apud Turcarum Regem iis locis imperantem, atque apud plures Turcas; qui variis temporibus his omnibus prædictis locis, præſertimque Aegypto præfuerunt, nunquam fuiſſe repertum, quinimo apud hos inventum idem planè eſſe cum noſtro, atque nihil ab iſto communiter recepto, differre. Rex enim Turcarum ſingulis annis à Seriph Mechę, atque Medinæ domino, binas, & plures etjam Opobalſami libras dono miſſas accipit, perpetuoque, poſtquam Aegypto imperavit, ab ipſo Opobalſamum recepit. Quod ſanè idem planè eſt cum eo, quo omnes Aegyptii, Arabes, Syri, atque alii utuntur. ALPIN. Verum dicis; Nam ego certo ſcio idem eſſe Opobalſamum vulgo receptum cum eo, quod apud multos dominos Turcas Conſuleſque Venetos habetur, quibus à præfecto Aegypti: ac aliis nobilibus Turcis dono datum fuit, idemque cum eo, quod apud Sereniſſimum Franciſcum Medicem Ducem Florentię à Turcarum Rege olim ei dono datum, hodie conſpicitur quod cum meo etjam Opobalſamo ex Aegypto, ad prędictum Sereniſſimum Ducem anno ſuperiori miſſo, re-

ctè

ctè ab ipſo comparatum, idem planè eſse, certum eſt. Quamobrem omnes qui negant vulgo receptum verum eſse, ſi ipſum cum Opobalſamo comparent, quod apud multos exſtat, Venetos, olim hujus loci Conſules Clariſſimos, atque apud alios plures, qui olim hęc loca peragrarunt, & Opobalſamum à nonnullis Dominis Turcis acceptum illùc comportarunt, probè, an ipſum verum ſit, cognoſcent. ABDEL. Multum tamen Avicenam admiror, qui dixerit, à goſsypio, hunc ſuccum aqua ablui poſse, cum tamen ſuperiùs dixerit, ipſum in aquam inſtillatum coagulari ac denſari: quod cum verum ſit, quomodo in goſsypio receptum, ac imbibitum, aqua ab ipſo ablui poterit? hoc enim fieri non poſse cuique patebit. Eſt demùm alterum Opobalſamum ex ſeminibus Balſami expreſsum, cujus etjam inter adulterata nuper recenſuimus, quod pro vero ſucco Opobalſami aliquando venditur, quod tamen facile, ut dictum eſt, ex obſcuriore ejus odore, amarioreque ſapore à vero diverſum ab his eſse comprehenditur. Ac de Opobalſamo hæc à nobis dicta ſufficiant. Reſtat modò, ut de Balſami fructibus, & virgis loquamur, quando multi quoque non deſint, qui contendant verum neque Carpobalſamum, neque Xylobalſamum eſse.

Veri Carpobalſami, & Xylobalſami cognitio, & conſideratio. Cap. VI.

ALPINVS.

HACTENVS Balſami plantæ, atque ab ea educti ſucci ambiguitates omnes vir doctiſsimè diſsolviſti, veritatemque ita claram effeciſti, ut de arbore, ac ſucco noſtri

am-

amplius contendere non debeant, sed ipsum potius agnoscere, atque in usum medicinæ restituere, quod quidem facientes summa laude digni erunt, tantum auxilium in usum revocantes, atque recipientes. Cum nemo nostrum dubitet amplius verum Opobalsamũ ex Aegypto,& Syria in Italiam comportari, quod facile à nuper adductis notis ibi an syncerum sit, cognoscetur. Restat modo, ut de ejusdem plantæ fructibus, & virgis, quod apud nostros dubii supersit ab illorum animis evellas. Quando vulgaria semina, pro vulgari falso Carpobalsamo à multis recepta, quorum ad nos singulis annis multa copia advehitur, verum esse antiquorum Carpobalsamum me judice etjam affirmandum sit. Animadvertendum tamen est, duplex genus Carpobalsami circunferri & utrumque pro Balsami seminibus apud nonnullos recipi quorum unum semen est terebinthi magnitudine, atque ferè etjam forma, rotundumque & oblongum, ovo simile, in extremis acutum, flavum, folliculo nigro rubescente undique contectum; Hocque verum est antiquorum Carpobalsamum. Alterum verò Pseudo Carpobalsamum huic admodum magnitudine, colore, figuraque est simile; differt tamen à vero, quia ipso est oblongius, ex medietate tantum folliculo contectum est, nam illud extremum, quod suo pediculo appensum est, folliculo caret, minimeque eo totum contegitur, sed tantum ad ejus usq; medietatem. De hoc vero, quod falsò pro Balsami semine me judice recipitur, non loquimur: quamquam odoratum sit, atque aromaticum. Illud que fortasse esset, quod olim Dioscoridis tempore ex Petra oppido Arabiæ pro Carpobalsamo asportabatur, & quo verum Carpobalsamum adulterabatur, si piperis saporem præseferret. De altero verò ab hoc prædictis notis discrepan-

te, quod præsertim à falso differt, quia totum folliculo suo contectum est, quando falsi, ut jam dictum est, tantum medietas folliculo contecta appareat, a nobis sermo habendus est. Audio nunc Venetiis omnes Pharmacopolas consilio excellentissimi collegii Medicorum in componenda Theriaca, atque Mitridatio, pro veris Balsami fructibus Iuniperi fructus substituere. quod quanta dignum reprehensione sit, ac in quanto illi versentur errore, vobis doctissimis viris nunquam latuit. Et utinam nunc perspectis rationibus iidem nō permittant sine his tanto artis cum dedecore (quandò hæc omnia non sit difficile apud eos reperiri) Theriacam atque alia medicamenta amplius parari, sed vereor, ne magis in antiquis erroribus persistere, quàm rei veritatem amplecti velint. ABDEL. Quid? etjam ne fructus Balsami, quorum in Italiam; aliaque loca hinc copia multa advecta, illis non deest, negant veros esse, atque pro eis in componenda Theriaca aliisque medicamētis baccas Iuniperi substituunt? quid de te audio? pudet me tantorum Medicorum, qui hos hactenus veros fructus neglexerint, minimeque his utantur. Sed quibus rationibus adducti, negant ista semina meritò ex te pro vero antiquorum Carpobalsamo recepta, veros esse fructus Balsami. An non ipsorum magnitudo, color & forma ad eos recognoscendos satis illis erunt? Theophrastus dixit: illos esse similes therebinthi fructibus magnitudine, figura ac colore. Et clariùs Serapio ex Dioscoridis mente hunc in
» modū eos descripsit: Et granum quidem ipsius, quod no-
» minatur Carpobalsamum, est granum rotundum ad longi-
» tudinem aliquantulum tendens ad acuitatem in ambobus
» capitibus, in medio vero grossius. Cujus color tendit ad ru-
» bicunditatem, & est plenum, grave, mordens linguam mor-

dica-

dicatione aliqua non multa, & quandò frangitur interius habet humiditatem similem melli, & ejus odor est bonus. At Dioscorides addidit hoc semen redolere Opobalsamum. Certè, ut verum fatear, fructus Balsami ab Italis tuis Medicis, atque Pharmacopęis neglecti, tùm Serapionis descriptioni omnino respondere cognoscuntur, tùm etjam notis à Theophrasto allatis, quando hi colore, figura, atque magnitudine verè fructibus terebinthi proximis spectentur. Serapio verò eos multo diligentiùs ac exquisitiùs declaravit, qui ipsos grana esse rotunda statuit, oblonga, extremis acutis, & medio crassiore, ad coloremque subrubrum tendentia, gravia plenaque esse, ac modicè gustum mordentia, quæ intus substantiam melli similem habent. Ex quibus notis vulgare Carpobalsamum verum omnino esse certissimè ostenditur, sed quamobrem isti negant hos, veros Balsami esse fructus, scilicet Carpobalsamum antiquorum? ALPIN. Omnes uno ore prædicant prædicta semina non una, at omnibus carere prædictis notis, quibus ea prædita esse Dioscorides omnium antiquorum in plantarum descriptione facile primus, memoriæ olim prodiderat, hisque speciatim verbis. Quare eligatur „ flavum, plenum, grande, ponderosum, mordens gustum, „ fervens in ore modicè, Opobalsamum olens. Dicunt itaque „ istæc semina à vobis pro Carpobalsamo monstrata, non flava, ut Dioscorides docuit, sed nigra, subrubescentia spectari, vacuaque non plena esse, levia & non gravia, parva & non magna, neque gustum aliquo pacto mordere, neque Opobalsamum olere. Hisque rationibus negant illa semina verum Carpobalsamum antiquorum esse, sed potius ea, quæ olim ex Petra oppido Arabiæ advecta, verum Carpobalsamum adulterari Dioscorides animadvertit, quod ipse hisce

 verbis

„verbis docuit, dicens: Adulteratur semine hyperico simili, „quod à Petra oppido defertur, sed coarguitur magnitudine, „inanitate, virium ignavia, sapore piperis. Idemque ferè Plinius testatum reliquit. Atque hæc sunt adversus Balsami vulgares fructus à quampluribus Italiæ, aliarumque nationum Medicis, & Pharmacopęis disputata. ABDACH. Ex his duobus alterum verum esse arbitror, vel illos scilicet viros, à te recitatas Carpobalsami notas, nunquam probè cognovisse, aut nunquam hos fructus, vel semina, quæ præ oculis omnes hi Pharmacopolæ quotidiè habent, inspexisse; quod si illi hæc aliquando inspexissent, ac rectè observassent, proculdubio fieri non potuisset, ut ex omnibus notis ipsos non agnovissét, veros esse Balsami fructus, quando non solum falsum sit ipsos omnibus notis à Dioscorides traditis carere, sed ne unam quidem illis deesse. Nam istæc semina sunt humiditate melli simili plena, quorum si multa facta intus ii inspexissent, nisi cæci omninò fuissent, fieri nullo modo poterat ut non id animadvertissent. Cernuntur etjam longe hyperici seminibus majora, sunt gravia, cum aliqua mordicatione, atque Opobalsami odoris fragrantia, quorum saporem, atque odorem unusquisque gustu, ac olfactu minimè destituto, poterit cognoscere. Nemo mea quidem sententia erit, qui prius Opobalsamum olfécerit, ac gustaverit, mox ista fracta semina olfaciendo & gustando, in ipsis eundem saporem, atque odo-
n Opobalsami apertissimè non cognoscat. ABDEL. Ve-
prædicas, neque indigna, ut ab illis Medicis audiren-
imadverterentur. Nam hęc semina vulgaria à nobis
balsamo recepta, eadem esse, quæ in multis Ara-
supra Balsami frutices colliguntur, omnes,
arunt, vere testantur; neque ullis unquã

aliis

ren.
rißim.
ur, ac am.
ro Carpo
ię Fœlicis locis.
ui illa loca peragr.

aliis Aegyptii Pharmacopœi pro Balsami fructibus ad componenda medicamenta usi fuere. Neque aliorum Aegyptiorum memoria constat, unquam ex Petra oppido, quod nunc Mecha dicitur, alios, quàm hos fructus pro Carpobalsamo ad nos delatos fuisse. Neque Galenus existimat homines in eorum seminum cognitione hallucinari, ac decipi posse, quando in libro de Antid. dixerit, Carpobalsamum non posse adulterari, idque meritò, cum minimè fieri posse videatur, ut aliquis, qui vera Balsami semina semel tãtum viderit, posset ab aliis decipi; sed concedatur posse adulterari, tamen cognosceretur id saltem, ut Dioscorides docuerat, inanitate, parvitate, & sapore piperis. Verum non possum non vehementer illos Medicos admirari, dicentes, notas à Dioscoride nobis Carpobalsami eo traditas fuisse, ut ista semina ab aliis distinguerentur, quandò ipse illas notas non ob id tradiderit, sed potius, ut iis homines perdocti seligerent ex seminib. Balsami, ea, quæ flava existunt, plena, majora, gravia, sapore, atque odore Opobalsami prædita, quoniam hæc cæteris meliora existunt. Quis ignorat, agricolas etiam ipsos aliqua semina ementes, sive triticum sit, sive hordeum, seligere plena, magna, ponderosa, optimi saporis, atque odoris, abjicereque inania, parva, levia? Quamobrem istud? quia hæc inutilia, illa optima existunt. ALPIN. Dicunt, flavum colorem, quo vera semina Balsami spectari Dioscorides tradidit, in istis seminibus non conspici, cum ipsa subrubra potiùs, & nigrescentia cernantur. ABDEL. Rectè dicunt, sed hinc conjicitur, ipsos minimè esse in horum seminum observatione exercitatos, seduloque nunquam ea inspexisse, quoniam si sæpè multa sedulò, variisque modis observassent, proculdubio duplici colore referta esse cognovissent, quippè nigro ru-

rubeſcente, ſuis folliculis veſtita, hiſque ſpoliata, ac nudata, flavo. Ex qua obſervatione, nec Dioſcoridem, docentem illud ſemen flavum eſſe, nec Theophraſtum cum Serapione ſubrubrum nigreſcens, falſum prodidiſſe, patet. Quando hi ſemen veſtitum ſuo folliculo, quod nigrum ſubrubeſcens cernitur: & Dioſcorides, folliculo ſpoliatum, quod flavum eſt, intellexerint. Hæcque à nobis de Carpobalſamo dicta ſufficiant. De Xylobalſamo verò non puto à nobis multa eſſe dicenda, quando non ita omnibus, ut Carpobalſamum, ignotum videatur. eſſe illas virgas communiter ab omnibus Pharmacopæis pro Carpobalſamo receptas, & iis tamen non utantur, argumentum erit certiſſimum, ipſas redolere odorẽ Opobalſami, & Carpobalſami, eundemque guſtui ſaporem etjam præſeferre. Optimæ autem exiſtunt, ſarmentoſæ, tenues, fulvæ, & recenter exciſæ, odorem Opobalſami maniſeſtiſſimum ſpirantes. Quem odorẽ eximium ſpirare à Theophraſto ac Serapione proditum eſt. His verò recẽtibus Pharmacopæi uti debent, cum parvo etjam tempore omni odore ac ſapore deſtituantur; tanta eſt enim illius humidæ ſubſtantiæ, in qua odor, ſaporque fundantur, tenuitas, ut cito exſolvatur, ſimulque cum ea ſapor, atque odor evaneſcat. ALPIN. Faſcem recẽtiſsimarum virgarum Dominicus à Rege, noſter Pharmacopola ab amico ſuo Turca, apud oppidum Sues, illuc Mecha advectum habuit, qui multum Opobalſami odorem ſpirabat, qui tamen paucis menſibus ferè omninò exolutus eſt. Multas virgas recentes habui, quæ apud me adhuc aſſervantur; quas comparatas cum iis, quæ apud Venetos Pharmacopolas ſunt, eaſdem utique eſſe ſine dubio cognoſcitur, quæ ſi recentes conſervarentur, veritas hæc omnibus eſſet maniſeſtiſſima, ita validus, ac manifeſtus in iis odor O-

po-

pobalſami perciperetur, ex quo omne dubium ex ipſorum animis ſponte excidiſſet. ABDEL. Tibi ſufficiat, hæc de Balſami planta, ſucco, fructibus, virgis, ex nobis audiviſſe, atque didiciſſe, veramque hanc hujus plantæ iconem, nunc Alpine ſpectare poteris, atque ex dictis ipſam recognoſcere. Sed abſoluto de iis ſermone, cum jam Sol ſupra Horizōtem multum aſcenderit, aeremque inflammare cęperit, ſatiùs erit nos hinc abire, & in urbem redire, priuſquam augeatur caloris æſtus. ALPIN. Rectè ſuades, abeamus, vobiſque, quod tantum hactenus ſuſceperitis laborem, multas gratias refero, meque ut pro veſtra humanitate ametis, quemadmodum facitis, etjam, atq; etjam rogo. valete. ABDEL. Atque tu interim vale. mementoque nos tui eſse ſtudioſiſſimos, teque multum, atque multum obſervare.

BAL-

BALSAMVM.



Cur

Cur Petri Bellonii observationes in Aegypto circa Balsami Plantam factæ hic adnotatæ sint.
Cap. VII.

CVM hisce diebus librum olim in Aegypto à me de Balsamo conscriptum in publicum emissurus essem, Ecce in manus meas perveniunt doctissimæ itineratiæ observationes à Petro Bellonio Cenomano, viro tùm in aliis, tum in plantarum materia doctissimo, ante annos ab hinc quadraginta litteris traditæ, atq; hoc tantum anno in lucem editæ. In quibus cum Balsami nonnullarum plantarum olim in Aegypto viventium diligentissimam observationē ab eo rectissimè exaratam, ac descriptam legerim, optimum fore putavi, si eam sub fine hujus libelli adjicerem, Siquidem peravi ex tanti viri in plantarum materia exercitatissimi lectione, ea, quæ dictæ sunt à nobis, ac litteris de Balsami historia mandata; posse haud parùm animos legentium confirmare, quod is omnia ferè complexus sit, quæ in meo libello leguntur. Hæcque, priusquàm Balsami observationem Bellonii hic adjecissem, præfari libuit; ne ex abrupto hic ea inserta candido lectori viderentur.

Aegyptii Balsami observatio ex Petro Bellonio in libro II. itinerariarum observationum, capite XXXIX. collecta.
Cap. VIII.

IN quodam pago spectatum ivimus hortum Balsami fruticibus consitum, qui à Cayro longius haud abest, quàm Lendit à Lutetia. Quoniam porrò Balsami planta admodũ celebris, preciosa, raraque est; hic scribere libuit quidquid ad ejus historiam pertinere arbitrati sumus. Quosdam esse scimus, qui Matareæ Balsamum ex Iudæa delatum esse putent: rem autem haud ita se habere, postea demõstrabimus. In magno quodam horto sunt, sed angusto loco muris conclusæ, quos extructos fuisse ajunt, postquam Turca Aegyptũ Sultano ademit: Bacha autem à Turcarum Imperatore huic regioni præfectum, ea arbusta digna existimasse, quæ peculiari loco concluderentur. Cum istic essemus, novem, aut decem duntaxat frutices ejus aderant, qui nullum liquorem præbebant. Inter notas à veteribus proditas, quibus balsamũ dignosci possit, una est, ut perpetuo vireat: illud tamen in Materea, apud Cayrum, pauca admodum folia Septembri mense habebat: quod nobis insolens visum est. Nam reliquę arbores, quæ hyeme virere solent, folia solum novo vere abiiciunt, cum videlicet nova germina produxerunt: solentque autumno magis virere, quàm novo vere. At reliquæ, quæ folia abiiciunt, id sub hyemem facere solent, ut æstate nova adquirant. Ideoque nobis præter naturam videbatur, Balsamum folia abiicere, ut hyeme nova germina produceret: nobis enim id observantibus, quæcumque habuit folia, recens nata erant. Ejus justam magnitudinem tradere nequi-

quimus; nam quotquot ejus frutices in horto aderant, ſtipitem ſolum habebant pedis longitudine, & pollicari craſsitie, tenuibus ramulis præditum, raris foliis obſitis. Vbicumque autem tandem naſcantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non ſuperant; & pedali altitudine cum ſint, in multos graciles ramulos anſerinæ pennæ caule haud craſsiores finduntur. Balſami frutices Matareæ jam recens putati fuerant, ſic ut ſoli ſtipites ſupereſſent, qui ramulorum rudimenta producebant. Ejuſdem etenim eſt Balſamum cum vite naturæ, quam ſingulis annis putare neceſse eſt, alioqui degenerat. Nova illa Balſami germina ſub rubente cortice erant tecta, foliaque viridia habebant, lentiſcinorum foliorum modo formata, hoc utrinque in nervo nata, ut in roſarum, vel fraxini, vel iuglandis foliis videre eſt, ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, ſicque conſtructa erat eorum ſeries, ut poſtremum foliolum extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina, aut ſeptena inveniuntur, ſeptenarium certe numerum ſuperare vix animadvertimus: extremum autem foliolum reliquis majus eſt, facto etenim ab illo progreſsu, reliqua ſenſim minutiora fiunt, ut in rutæ foliis. Plinius in ejus hiſtoria Theophraſtum per omnia ſequutus eſt, quemadmodum etjam Dioſcorides, ejuſque veſtigiis inſiſtentes, Balſami folia rutæ foliis compararunt: quod veritati conſonum eſse deprehendimus. Quoniam autem primum in Matarea illud exacte non obſervaveramus, denuo illud ſpectatum ivimus, ejuſque ramulum nacti, ipſum, atque illius folia deguſtavimus, quæ facultatis non nihil adſtrictoriæ eſſe comperimus, pinguiſque aliquantulum ſaporis, atq; aromatici, ramulorum autem cortex his odoratior eſt Gemi-

no cortice præditi ſunt ramuli, extimo foris ſubrubente, qui ut membrana intimū viridem operit. Is guſtatus inter Thus & Terebinthi folium ſapit, ſatureiæ ſylveſtri ſapore ſimili admodum grato, atque digitis tritus cardamomum olet: ipſum lignum candicat, odoriſque & ſaporis expers eſt, non ſecus atque aliud inutile lignum. Ipſius virgæ rectè ſunt & graciles, rariſque foliorum alis ſparſim & confuſo ordine naſcentibus obſeptæ, quæ (ut diximus) ternis, quinis, aut ſeptenis foliolis conſtant. Variæ ſunt auctorum, qui de Balſamo ſcripſerunt, opiniones: & niſi noſipſi plantam conſpexiſſemus, nihil poſt illos de eo ſcribere auſi fuiſſemus: atque in eam ferè opinionem inclinaremus, illud Hiericò planis nunquàm cultum fuiſſe. Quia autem ipſum fruticem vidimus, diligenterque obſervavimus, de eo, tanquam de re quæ diligenti obſervatione digna, diſſerere libuit. Experientia autem didicimus lignum illud vulgo Xylobalſamum nuncupatum, quod ex Fœlici Arabia delatum à mercatoribus venditur, cum Ægyptio quod in Matarea colitur, convenire: nam deſiccatum noſtrum Balſami ramum cum eo, quod in officinis venale reperitur contulimus, atque omnibus notis reſpondere, deprehendimus: eſtque ex duobus alterum neceſſarium, aut Xylobalſamum & Carpobalſamum, quale in officinis venditur, adulterinum eſſe, aut illud Aegyptium, quod colitur in Matareæ horto, legitimumque Balſamum eſſe cenſetur. Nam cum in omnibus conveniant, certique ſimus idem eſſe, aſſerimus, & concludimus id, quod hoc nomine venale reperitur, ſimile ei eſſe, quod ab omni antiquitate in uſu fuit. Balſamum nunc temporis in ſola Aegypto colitur apud Cayrum. Et licet Theophraſtus in ea opinione ſit, id ſylveſtre & ſponte naſci non inveniri: aſſerere tamen audemus, ab omni

ni ævo in fœlici Arabia fuiſse, atque etjam nunc naſci, cujus lignum, & fructus etjam olim ad nos perlata fuerint cum aliis Arabiæ mercibus. Atque demonſtrare volumus ea non minus cognita fuiſse mercatoribus, quàm reliqua aromata, ut ex medicamentorum, quibus perpetuò iniici ſolita ſunt, compoſitionibus apparet. An non Mithridates in ſuum Medicamentum intulit? An non in officinis venalia repetiebātur? Id ex ſola Dioſcorides auctoritate probari poteſt, qui in ſua ætate Carpobalſamum adulterari conqueritur. Carpobalſamum (inquit) adulteratur ſemine hyperico ſimili, quod à Petra oppido defertur: per Petram oppidum Mecham intelligimus, atque de Xylobalſamo: è ligni genere, quod Xylobalſamum vocant, probatur recens, ſarmento tenui, fulvum odoratum, quadatenus Opobalſamum ſpirans. Ex his liquidò apparet vulgaris uſus inter reliqua aromata fuiſse. Sed & ex Diodori Siculi vetuſtiſſimi Scriptoris Arabiæ fœlicis opes enumerantis, verbis, manifeſto liquet. Maritimas enim loca Balſamum producere, ait. Cultum igitur id eſse non intelligit, ſed ſpontè naſcens. Pauſanias etjam tradit Balſamum Arabiæ fruticem eſse. Plerique tamen auctores de Balſamo agentes, inter ſe non conveniunt. Nam Strabo prodit in Syria naſci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum & Antilibanum. Reliqui volunt ſolam Iudæam regionem id producere, ejuſque ramos oſseo cultro, aut vitro duntaxat vulnerandos eſse ad liquorem eliciendum, alioqui ſi ferro cædantur, ſtatim emori, Cornelius Tacitus ſcribit, ferro juxta adpoſito, metu exhorreſcere, idcirco aliis quàm ferreis inſtrumentis vulnerandum; ſi liquorem elicere quis cupiat. Percontantes à mercatoribus Cayri de Balſamo, cum noſtrum ramulum conferremus, nobis affirmarunt, quidquid

Xy-

Xylobalſami, vel Carpobalſami unquam vendidiſsent, id omne ex Mecha cum aliis aromatibus accepiſse; atque meminiſse ſuo tempore Balſami frutices, qui nunc in Matarea coluntur, ex Arabia fœlici delatos eſſe, magnis ſumptibus Sultani. Quoniam verò id nobis tam multi affirmarunt, exiſtimavimus ſine ullo ſcrupulo aut diſsimulatione nobis licere id ſcribere.

Laus Deo Opt. Max.

FINIS.

IOANNIS VESLINGII MINDANI, EQVITIS,

ET IN PATAVINO GYMNASIO
Anatomiæ & Chirurgiæ Professoris primarii,

DE PLANTIS ÆGYPTIIS
OBSERVATIONES ET NOTÆ
AD PROSPERVM ALPINVM,

cum additamento aliarum
eiusdem regionis.



Patavii, Apud Paulum Frambottum. M.DC.XXXVIII.
Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. NICOLAO CONTARENO

HIERON. FILIO,

PATRITIO VENETO,

IOANNES VESLINGIVS MINDANVS.

F. P.

SCeletum æneum, artificiosam ossium corporis humani compagem, Apollini Delphico conferebat Hippocrates, si fidem Celsus meretur, omnis Medicinæ parens. Sugillabat factum hoc vulgi livor, quod vir tantus, non exornatas nobilibus gemmis pateras, non ex auro solido tripodes; sed vile satis, & injucundum spectantium oculis anathema Numini sibi propitio dicaret. Rectiùs tamen sentientium punctis laudatus fuit prudentissimus Senex, utpote qui Medicinæ inventori monumentum statuisset, in quo cùm salubrium actionum perfectio, tum artis inventæ dignitas clariùs quàm in auro gemmisque refulgebat. Imitari id mihi videor, Illustriss. Vir, & per vestigia illa repere magni Præceptoris, dum non selectum quidem, sed per æstiva studiorum laxamenta concinnatum hoc opusculum, exoticæ Floræ qualemcunque corollam, in Gratię tuę templo dedico; qui seculi hujus Apollo alter, non solùm generoso, perque tot ἰσοθέους ἄνδρας, Diis simi-

les Heroes deducto stemmate splendidissimus es; sed herbarum quoque subjecta tibi potentia, per tractus omnes Christiani orbis celeberrimus. Ecquid enim est in hoc amœno plantarum genere, quod ad utrumque solis terminum porrectæ Indiæ, Aegyptus, Syria, Thracia, Creta, Cyprus, Europa deinde reliqua, vel raritate suspiciendum, vel odora floreaque voluptate delinificum, vel medendi viribus admirandum, curiosis unquam oculis admovit, quod non in cultissimi horti tui pulvillis areolisque decentiùs, quàm in pensili Semiramidis viridario, aut etiamnum vernet, aut olim hospitatum fuerit? Munificentia sanè tua, tanquam diffuso quaquaversum vegeto calore, Prosperi Alpini exoticæ plantæ tenebris & oblivioni subductæ, non desperant cum augusto felicique nomine tuo viam terere posse æternitatis. Et hæc pariter quæ devotus exhibeo cultor, irradiante benignitate tua pervenerunt ad frugem, qui consilio tuo in Orientales provincias profectus sum, tuoque hortatu ad Patavinum hoc Atheneum iter relegi: ut non minùs ea Tibi deberi profitear, quàm Cereri spicæ, & olea Minervæ. Quamvis in amorem Tui ultrò concesserim, simul atque inundatum ingenti Sapientiæ flumine pectus tuum cominus venerari, & ab illo reconditæ Doctrinæ torrente avidum animum satiare licuit. Hærent plerique in vestibulo Philosophiæ salebris argutiarum malè detenti, & instrumentum vitæ, teste Seneca, maximè serium in ludum quendam convertunt nugarum. Te ardentissimus Veritatis amor, & eximio subnixus

nixus

nixus ingenio pertinax labor, in interius illius Divæ sacrarium facilè admisit, ut verè Lucretianum illud tibi vindices,

----- juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Insignemque tuo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarunt tempora Musæ.

Taceo humanitatem tuam, qua me nil tale merentem constanter suaviterque complecteris. Taceo reliqua tot Virtutum tuarum ornamenta, quæ prolixo verborum ambitu digerere, nec Modestia tua concedit, nec mea permittit infantia, qui socco magis idoneus sum, quàm cothurno. Sume igitur, Vir Maxime, tenuem hunc libellum, nec ab ingenio satis excultum, nec qua decuit elaboratum industria. Patere quæso, ut à clarissimo nomine Tuo fœnerata luce, tantisper in Famæ delubro pendeat: non ut munus, cùm nihil quidem à me proficisci queat, quod non ex officio, imò ex debito tuum sit; sed veluti animi æternùm benevolentiæ tuę vadati Sponsoria tabella. Cęterùm, Providentiam veneror cœlestem, ut Illustriss. Ampl. Tuæ honorum omnium optabilem proventum interminus annorum recursus instauret.

Patauij. Kal. Ianuarii. Anno M.DC.XXXVIII.

In Observationes Ægyptias
V. C.
IO. VESLINGII
Equitis.

Niliacos ALPINVS Opi detexit odores:
Neglectis Hermes jam tulit alter opem.
Romanos latices miratur barbara Memphis,
VESLINGI genium quando Serapis habet.
Oceano pronus tangit dum brachia Cancri,
Non alio Phœbus nectare potus erit.

Observantiæ monumentum
S.
Io. Rhodius.

Quintus Olympiacam jam reddit annus olivam,
Implevit spicis horrea quinta Ceres,
Cùm sic pingebas parvi miracula mundi,
Vt stupeant circi pegmata docta tui.
At nunc affectas apicem majoribus alis,
Cùm magnus prodit mundus ab arte tua,
Quem per Niliacæ lustras quinquennia Memphis,
Dum Pharii tradis germina rara soli.
Cosmographum plaudens te verum credit Apollo,
Cujus ad Ingenium Mundus uterque patet.

Paulus Marquart Slegel,
Hamburgensis.

Ὄρχος ἄρ' Ἀλκινόου λόγος ἔπλετο. οὐ Βαβυλῶνα
τὴν προτέρην κήπων ἠερίων ἄγαμαι.
Ἀλπίνου παράδεισος ἔχω πλέον ἔν μοι ὁδῖτα
Δήεις ἐκ καλύκων ἄνθεα φαιδροτέρων.
Καὶ φυτὰ, καὶ καλάμους, τοὺς εὐρυπόρου γ' ἀπὸ Νείλου
ἠλγάϊσεν μίαν Πρόσπερος Αὐσονίῃ.
Ἔρχεο θαρσαλέως, οὐ τίς σε πρίηπος ἀπείργει
καρποφύλαξ, σταχύων ἐκκεραϊζομένων.
Ἄλλος γὰρ προθύροισιν ἐφίσταται, ἤπιος ἄλλος,
Δράγματα αὐτομάτην πάντα χαριζόμενος.
Μινδανὸς γένος ἐστὶ, καὶ ἡμετέρων ἀπὸ κόλπων
Ἀλδαίνει πινυτὴν τῇδε φυτηπανίην.
Ἀκτῖσιν τε νόου θάλπει, κάτα δ' αὔλακας ἕλκων
Ἀρδεύει νυμφῶν νάμασι Κασταλίδων.
Τηλίκον ἡμετέραις πρασιαῖς πέρι κόσμον ἔθηκε,
Δῶκε δ' ἀεὶ χλωραῖς ἀνθοκομεῖν βοτάναις.
Οὔτε γὰρ αὐχμηροῖο θέρους ἐστὶ καύματι καῦμα,
οὔτ' ὥρης κρυμὸν δείοτα χειμερίης.
Τοῖος τοι φυτόεργος ἀεὶ ζώουσι στεφέτω
ἄνθεσιν ἐν ζωοῖς, ἄνθεσιν ἐν φθιμένοις.

Iustus RycKewaert.

Fer-

FErtur oderiferis ſerpens Epidaurius herbis
Hippolyti laceros compoſuiſſe ſinus.
Quis potuit vitæ leges præſcribere plantis?
Vt folijs redeat forma virorque ſuus.
Solus in exemplo eſt VESLINGIVS; audet utrumque
Quod docuit Phariæ torrida Zona plagæ.
Sicca papyrifero diluta novalia Nilo
Oblitum Meroæ ſemen opeſque ferunt.
Ignotas calamo dum Ægypti diluis herbas,
Non Peluſiacæ nomen habebis aquæ?
Non ſitiet ſanctam Crocodilus peſtifer undam,
Progenies Coæ ſed generoſa Scholæ.
Nemo bibat raptim, ſed labrum proluat altum;
Et licet invideat, diſcat amare canis.

Martinus Vvitting.

IO. VESLINGII
OBSERVATIONES
IN LIB PROSPERI ALPINI
DE PLANTIS ÆGYPTI.

Cap. I.

AEGyptus ut animantium fœcunditate, sic plantarum quoque lætissimo proventu, non Græciæ olim, non Hetruriæ, agroque Latino, quicquam cessit. Quamvis enim Iovi pluvio nunquam supplicet; habet tamen in privatis bonis abundè quod cœlo imputet. Solem, qui vegetabilia firmat, auras, quæ suaviter demulcent, Nilum qui liberaliter educat, nobilissimum amnem & quem verè dixerim, non Trimalchionis, sed Aegypti τὰ πάντα. Nam quòd sole adulto, ac ferventiùs radiante non fatiscit, quòd insuetæ cœlestibus aquis per annuas siccitates humor sufficitur, à Nilo est: quòd veteribus non urbis; sed orbis horreum diceretur, & imperii Romani magnitudinem, tum frugibus, tum opibus conservaret, à Nilo fuit. Quod per hæc queque tempora, vicinis Arabiæ desertæ incolis, Palæstinæ, Syriæ, Byzantio, copiis suis prospicit, & Europæ reliquæ Saccharum, Cassiam, 'enam, Gummi, indigenas scilicet merces non invidet, ab eodem est. Sed herbarum præcipuè gloriam multis retro seculis Aegyptus possedit, & disertè eam asserit Homerus, primus ille doctrinarum & antiquitatis eruditæ parens.

Ἐσθλὰ τά οἱ Πολύδαμνα πόσεν Θῶνος παράκοιτις,
Αἰγυπτίη τῇ πλεῖσα φέρει ζ-ἰδωρος ἄρουρα
φάρμακα.

Nimirum de Helena sua loquitur sapientissimus Poetarum, cui Poly-

damna Thonis Regis coniunx remedia dederat plurima, quæ fertili solo profert Aegyptus. Inter quæ Nepenthes illud referunt, celebre pharmacum, in quo oblivio quædam fuit à doloribus, & curis. Plinius non aliam ob causam Agyptum unguentis accommodatissimam scripsit, quæque defunctorum corpora ævis incorrupta facilè conservaret. Imò, cùm his incunabulis humanę valetudinis præsidem artem sublimis ille Hermes, & Trismegisti hujus discipulus Aesculapius primitùs excoluerint, factum deinde, ut vetustissimi auctores (Pythagoras scilicet, & Democritus) qui vires herbarum voluminibus suis complexi sunt, regionem hanc sedulò peragraverint, quarum industria salutaris hæc professio nobis plurimùm increvit. Quamvis autem plantas omnes hujus fœcundissimæ Provinciæ sese descripturum polliceatur Prosper Alpinus, ad eas tamen respexit, quæ vel non obviæ in Europæo tractu, vel certè rariores. Eæ, excepto Balsamo, circa Memphim, Alexandriam, Pelusium item, & Heracleam oppida, in villis aliquot nascuntur. Difficilè sanè exteris, in amœniores secessus pedem penetrare. Quamvis enim hic quoque verè,

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amet saxa,

Odium tamen religionis, hominem Christianum vulgo invisum reddit, quod atros Europæorum pileos non minùs execratur, quàm prisci illi lemures, & fuscas aves. Antiquitùs, quia cultus rerum omnium diligentior, herbarum pariter copia maior fuit, cùm Scythico dominatu nondum premeretur Aegyptus: quo iam veluti diluvie omnia subruente, bonæ artes in exilium compulsæ & cum gente ipsa, tum sermo, tum ingenia deleta videntur. Qui nunc Aegyptum incolunt populi, præter indigenas Christianos, potissimùm Arabes sunt, utriq; non tam subditi, quàm mancipia, & ab avaris Turcis pessimis exemplis habentur. Quorum animis avidis, atq; insatietatibus, quia modum statuere nullum possint, ea tantum in prædiis hortisque colunt, quæ cum minimo impendio quęstuosissima norunt. Illud etiam opere summo caventes, ne sive deliciis, sive elegantiis hortorum, noxios invidorum oculos perstringant. Hinc palmeta quaquaversum videas, enormesque sycomorôn truncos, tum arbores medicum aureumque malum ferentes, densiore sylva invicem implexas, & Iasminorum fusiùs intricata germina. Cætera rus merum, & inculta arenarum vastitas occupat.

Ad

Ad Cap. II.

De Cassia.

ARbores præcipuè feliciter educat Aegyptus, ut auctor est Eresius ille scriptor suavissimus, affertque rei causam, τὴν πολυυδρίαν, aquarum copiam, τοῦ ἀέρος μαλακότητα, statum aeris placidum sive mollitiem, καὶ τὸ μηδὲν ἀντικόπτειν τῶν ἔξωθεν, quodque nihil externorum vim afferat. At hæc suaviter magis, quàm verè scripta esse contendes, cùm vix horum in Aegyptum aliquid conveniat. Etenim arbores cæteræque plantæ quæ prædiorum septis comprehensæ, quotidiè quidem suffusam è cisternis aquam bibunt: at quæ extra hæc, quarum maior sanè pars est, à Ianuario mense ad Augusti finem, quibus intra ripas suas decurrit Nilus, de suo sibi succo parcissimè vivunt, quia in mediterraneis Aegypti pluviis imbribusque nullis rigantur. Aerem verò quis mollem dixerit, qui continuata ferè siccitate squallidus, æstuosus, quemque numquam, non acriùs & rectiùs feriunt illa, ut cum Lucretio loquar, radiantia tela diei: quæ, cùm externæ aliàs iniuriæ nullæ accedunt, teneris arbusculis satis noxarum accelerant, utpote quæ infirmæ, & Theophrasti quoque confessione, οἷον τιθηνήσεως δεῖται, tutelam, & nutricis officium desiderãt. Veruntamèn quisquìs nobilissimæ provinciæ genio pauculis mensibus litatum iverit, lubens hic mellito scriptori punctum omne detulerit. Arbores enim quæ non longè nimis vel à Nilo, vel à ductibus eius, per quos ruptis aggeribus in arva mittitur, aquarum sufficienti copia fruuntur, & in circumfuso calentium arenarum æquore, non solùm læto perpetim virore oculis sese commendant: sed etiam ad crassitiem, altitudinemque insignem promoventur. Ex his Sycomori potissimùm, & fructibus suis amabiliores Palmæ. Quamvis enim eas flumen ipsum non alluat, actis tamen in profundum altis radicibus, satis humoris alliciunt, qui in pernitiores illos terræ tractus mirè sese insinuans, veluti in spongiam bibulam latè recipitur, & impellente trahentium siti rapitur. Hinc est, quòd etiam puteorum aquæ iuxta cum Nilo crescant & decrescant: cum primis verò celebris illius, qui in arce Memphis, qua parte regiorum militum statio, vulgus puteum Iosephi nominat, in quo pariter atq; in Sienis puteo, de quo scribit Heliodorus, incrementa amnis & decrementa distinctiùs metiri licet; ut mirum nullum sit, quemadmodum ex Porphyrio refert Proclus, antiquissimam Aegyptiorum sententiam fuis-

ſe κάτωθεν ἀναβλυστάνειν τὸ ὕδωρ, ab infernis partibus aquam ſurſum ſcaturire, ac terræ veluti ſudorem exiſtere. Iam verò mollitiem aeris, partim climatis parit diſpoſitio, quod à menſe Decembri ad Martium uſque jucundis Zephyri auris mitiſſimum, omnes anni vernantis indulgentias pleno ſinu diffundit: partim à ſtatis producitur ventis. Nam circa ſolſtitium æſtivum, cùm fervido Sole impenſiùs alioquin aer incaleſcat, non minùs tamen à Borea mare mediterraneum perflante indies refrigerante ſpiritu, quàm rorifluis noctibus ſqualorem exuit. Denique nihil eſt hiſce locis, quæ quidem à mari longulè divertant, quod tenellis arborum fœtibus rigorem expectoret. Vix toto quinquennio circa Memphim, bis terve pluvias cecidiſſe obſervavi, nec illas ingentes, quæque ſata diluerent: nunquam imbrem turbine citatum, aut pernitioſos ignium cœleſtium afflatus, aut glomeratum fœda tempeſtate grandinem, ſimileſque calamitates. Atque ut penetrabile & adurens frigus, cœlum ipſum naſcentibus illic plantulis defendit: ita calorem Solis inclementiorem, quælibet circa radicem diſpoſita teſtula excludit.

Ad Caſſiam venio arborum Aegyptiarum pulcherrimam. Arabes illam Sagiar el ſelichet vocant, tanquam nominis egeſtate arborem ſiliquæ exprimant. Turcæ prædiorum Aegypti hodiè poſſeſſores Chaiar Xambar appellant, nigram ſcilicet caſſiam innuentes. Actuarius ſanè primus inter Græcos recentiores Κασσίαν μέλαιναν Caſſiam nigram indigitavit. quamvis Caſſiæ nomine vetuſtiſſimi auctores, nobile quoddam & cinnamomo cognatum aroma deſcripſerint. Qui eandem Ceroniam Theophraſti nominant, non obſervant, eam & foliorum caducitate, & florum tam flavedine, quàm ſuaveolentia, manifeſtiſsimo diſcrimine ſeiungi. Quamvis igitur utrumque nomen huc propriè non ſpectet; nil obſtat tamen, quo minùs Caſsiæ fiſtulæ nomine fidenter utamur, quod conſuetudo, & diuturnus loquendi uſus rei Medicæ donavit. Arbor hæc in maritimis Aegypti locis frequentior eſt: quippe declivioribus, & aquarum copia magis irriguis. Nuci iuglandi ut foliorum imitamento par eſt: ita ſtirpis magnitudine & robore cedit. Partibus tamen omnibus elegantior Nam ſive floſculis foliorum proventum anticipantibus ſuaviter aurea ſit, ſive foliorum florumque grata congerie decentiùs locupletata, ſive floribus, foliis, fructu item veteri & novello pulchrè gravida, nihil eſt quod vel comparatione in iuglandem conveniat. Crepitantes autem à concuſſu fiſtulas, optimas eſſe, Alpino noſtro vendaces quidam Aegyptii perſuaſerunt: cautiores tamen mercatores, & quos crepitacula illa à ſolidiore fructu accuratè ſecernere vidi, & ſi qua fiſtulę parte ſe diſtinctiùs offerunt, ea tenus abrumpere. Arida enim intra ſeptum ſemina con-

continent, & pulpamento melleo destituta, humore tenui quo redundabant, discusso. Sed ut rerum omnium eximiarum vix diuturnus tenor est: ita maturitati iam proximum Cassiæ fructum sæpiùs immitis casus atterit. Instrepentibus enim paulò altiùs ventis, invicem conquassatæ siliquæ confertim decidunt, ad usum humanæ valetudinis deinceps ineptæ. Plures igitur ejusdem rami fistulæ communi vinculo in arbore colligantur, ut vel sic doceant, non promptè fortuitorum impetu diffringi, quicquid concordi fædere privatam infirmitatem sustentat. Accedunt insidiæ à rapacissimis furibus, unde & solicitudo tuendarum maior, & ut cum Horatio loquar

Custodes pavidi, & vigilum canum
Tristes excubiæ

pretium earum & impensas adaugent. Flores Saccharo conditi, medicamentum exhibent renum àrdori contemperando, tum lentis crassisque recrementis, quæ tubulos ureterum insederunt, eliminandis utilissimum. Quod si ex assumpta Cassiæ pulpa, vel intento calore, vel acrioris urinæ concitato impetu, renum ægritudines exacerbatæ fuerunt, ut observarunt Petrus Pigræus, & Fabritius Hildanus: id verò non integræ cassiæ tribuendum, de qua hic Prosper Alpinus scribit; sed corruptæ, ac viribus obsoletæ. Neque hercules fieri potest, ut inviolatam servet indolem medicamentum, quod in tam longinquas regiones vehitur, vix in ipso natali solo cum cura servandum.

Ad Cap. III.

De Carob.

SIliquam dulcem nomine magis proprio κερωνίαν appellarunt vetustiores è Græcis Botanographi, quod fructum ferat cornuum rudimenta contortis membranis exprimentem. Arabes ab hac significatione haud diversi, arborem Kernab nominant, id est Cornuum parentem, recepto ipsis loquendi more, qui & Papaver ab elnum, patrem somni, & Convolvulum septifolium om el hessenet, matrem pulchritudinis dicunt, propter ornatum quem addit hortis. Mel ipsum, quod fructus suppeditat Karòb nuncupant, ob crassitudinis modum quo præditum est. Etenim Ka communis est, qua crassitudinis similitudinem exprimunt, particula: Rob verò succum iis denotat calore densatum. Hinc Rob'el ribes, Grossu-

fulariæ ſuccus, qui ſaccharo per coctionem ſpiſſatus, quem hodiè ex Damaſco locisque finitimis in Aegyptum deferunt. Vulgus tamen ſusque deque habens quid loquatur, arborem, fructum integrum, & melleum ex eo ſuccum communi Karob nomine compellat. Figura plantæ hîc expreſſa rudiuſcula eſt: folia circa extremitates magis rotundata, ovalem propemodum ambitum deſignant, nonnunquam ſinuoſa & inæqualiter commiſſa: Fibræ craſſiores, atque ab his per trabeata intervalla nervulis aliis ad peripheriam deductis. Floſculos rubeſcenti thyrſo inſertos producit plurimos, lacteo candore perfuſos, quorum foliolis dilapſis flaveſcentes apices ſuperſtites remanent, & ipſi tandem decidui. In Aegypto paucas harum arborum vidi, frequentiores in Palæſtina, plurimas in Iudææ montibus, & circa ſacram ibidem urbem.

Ad Cap. IV.

De Acacia.

Arbor Acaciæ inter Aegyptias Spinas antiquiſſimis Scriptoribus nobilis, & ut in Sapientum convivio refert Athenæus, injectis olim corollis quàm propriis ornamentis conſpectior fuit: quamvis & læto foliorum virore, & intermicante ſpiſſo floſculorum auro horridos aculeos inumbrans, per ſe oculis gratiſſima ſit. Caudicem ſpinis carentem non rarò ampliorem deprehendi, quàm ut brachio meo circumdari potuerit. Non ὀρθόφυῆ, teſte Theophraſto, ſed à mediocri ſaltem altitudine, denſiore ſylva ramorum, in latus magis, quàm in rectitudinem ſe exporrigentem. Folia quàm in propoſitę ab Alpino figuræ ramo duplò maiora ſunt, nec circa petiolos, nec circa apicem in angulos acuminata, ęquatis alarum veluti remigiis ramuli ſui latera ſtipant: ut ad Solem occidenteminter ſe commiſſa, ſic ad eundem orientē ſenſim repanda. Fructus ſiliqua concluditur, non rotunda, ut ex Democrito fertur; ſed complanata, atque ex intervallis compreſſa, nec niſi qua ſemen continet parte leviter uberata. Latitudine pollicem tranſverſum metitur, longitudine diſpar eſt. Nam ſiliquarum eiuſdem arboris alias digiti, alias manus quoque, ſpithamęve menſuram ſuperaſſe vidi, non ternis tantùm, aut quaternis, ſed octonis etiam denis, pluribuſque ſeminibus inter arctatos lobulos invicem ſubornatis. Flores in arbore copioſi, in corollarum quoque contextum olim recepti, ſtaminum innumerabilium denſa phalange cerasi

minoris

minoris ambitum ęquantes. Succum Acacię iam à viginti annis in Europam transmisit vir optimus Cosinus de Nigris, Pharmacopęus Venetus. Is contusis in mortario lapideo siliquis adhuc virescentibus, torculari succum exprimit, expressum, non ut veteres olim in sole densat, sed in vase, quod stanno inductum, calore furni eatenus sensim spissat, donec refrigerata guttula protinus concrescat. Tunc effusum supra linteum purum, simulac intepuit, vesicis bovillis includit. Atque hoc modo pręparatus succus, minimè exustus, modicè fulvus, non insuaviter odorus, ad pręscriptos ab Alpino nostro usus utilissimus habetur.

ACACIAE VERA EFFIGIES.



Ad Cap. V.

De Nabca.

NAbcam Prosper Alpinus Spinosam hic exprimit; & satis quidem rectè, quicquid censeāt alii, qui nec ipsi Naturæ Veritatem iconum lineamentis accuratiùs assequuntur. Vidi, & alteram in Aegypto non spinosam, cujus apud me ramum seruo, quamvis similis in reliquis utrique facies. Caudicis amplitudo, & crassities insignis observatur: nec id mirum in regione, quæ ad arborum, ut Eresius loquitur, εὐβλαστίαν καὶ εὐκαρπίαν, & fructuum bonitatem, & germinationis assiduitatem aptissima existit. Equidem quam in urbis Cayri vico Veneto, Consularis palatii limen in umbrare vidi Nabcam, trunco tam enormi assurgebat, ut eam homo quantumvis procerus amplexu cingere totam non sustineret, ædes ipsas tertia sui parte superasset: si in rectum germen exivisset. Folia cordis figuram æmulantur, à quorum pediolo nervi tres crassiusculi in totam longitudinem porriguntur. Horum ille qui medius utrinque propagines minores submittit, reliqui duo externo potissimùm latere. Densitas folii vix nostrate pyro minor est. Flosculi ad foliorum exortus copiosi visuntur, ex virore quodam albicantes. Fructus pomum exiguum tota habitudine quàm exactissimè refert, jurarésque per oculos tuos mespilum te conspicere, si videres; sed mespilum ἀνθηδόνα, vel Aroniam illum Dioscòridis, solo nucleo, quem Nabca continet, gemellos hos discriminante. E spinosa tamen Nabca poma vidi majora, quæque flavam maturitate corticem eleganti rubore purpurabant. Qui in putridà febri ægris ea indulgent, blandimentum sanè certum afferunt, emolumentum nullum. Cæterùm Nabcam Connarum Athenæi credidit Prosper Alpinus, cui subscribit Carolus Clusius Botanicus eximius. Ambiguam tamen fidem faciunt, tam malè herentes notæ, quum in convivio illo sapienti Democritus Connarum δένδριον, arbusculum nominet, τῷ φύλλῳ τέρεν καὶ περιφερὲς· cujus folium tenellum & rotundum, denique magnitudine, carnibus, & officulo fructum oleæ phauliæ comparet. Sanè quæ inter Aegyptias arbores de Coccymelea scripsit Theophrastus, & præcipuè quod fructum ferat magnitudine, & natura mespilis proximum, nisi quod rotundum obtineat nucleum, non eo actè huc deduci possunt, Plinius hanc Prunum Aegyptiam vocat.

Ad Cap. VI.

De Sycomoro.

ÆGyptiam hanc ficum veteres συκάμινον, & distinctius συκόμορον nuncuparunt, Christiani indigenæ Tin el Pharaòn, ficum Pharaonis dicunt. Dirimitur ferè ab humili, sed lata stirpe, in truncos binos ternosve peramplos, è quibus deindè ramorum confertim digestorum vasta, & robusta brachia, opaci frigoris gratissimam scenam latè æstuantibus obtendunt. Folia magnitudine & sinuoso illo ambitu, quem figura hic exhibet, prædita non sunt. Mori quidem foliis paria, nisi quòd horum densitas major, & asperitas discrimen inveniat, ut rectè subjunxit Prosper Alpinus. Addo quòd Sycomori folia perennitate donata sunt, quæ in Moro circa brumale solstitium penitùs dilapsa vidi. Fructus cùm ex caudice, tum ex ramis in crassitudinem adultis, qua parte trunco propiores sunt enascuntur, non autem è ramis summis, quòd scire licet rectè negasse Dioscoridem. Fici ipsi in tam fœcundo proventu mediocre tantùm corpus faciunt, nec ut nostrates laxiùs ventricosi. Parum extra natalem caudicem vulneratum colla proferunt: cavitate quoque intus præditi, quæ subluteo minutoque retrimento conspersa, non raró vermiculis succrescentibus hospitium præbet Mattheoli sententiam ut non immeritò reprehendit Prosper hic noster: ita verè Plinius cum vetustissimis scripsit auctoribus, Sycomori lignum stagnis immersum subsidere, id est, ex raro fungosoque densum, magisq; tractabile reddi, subducto quo prius scatebat lacteo succo. El Mataaria hortus est circa Memphim Christianorum cultu celebris, & à puritate sive lustratione quadam sordescentis à peccato animi nomen traxit; quamvis ab impuro possessore indignis modis habeatur. In eo ingens illa Sycomorus, aggere humili ex aggestis cespitibus accedentium commodo succincta, jam à mille quingentis annis religione Christianorum nobilis, ob causam ab Alpino allatam. Vigent etiamnum eius cacumina lætis frondibus, quamvis caudex circa radices fœdè mutilatus sit, cum eidem illi qui arborem osculis humectant, eius particulam de solido frequenter abscindant, animi intemperantis stulta curiositate labefactantes, quod affectu pio servare præstabat. Cæterùm, quia Sycomorus arbores Ægyptias si non altitudine, certè crassitie plurimùm excedit, jure quæsiveris, an hæc arbor illa, quam veteres in sylvestri circa Memphin

phin regione nasci prodiderunt, tantæ molis, ut eam homines vel terni circumplecti nequirent? Sycomoros ego ea crassitie plures atque etiam ampliores circa Memphis villas prædiaque conspexi: Veteres tamen Sycaminum à vastis illis evidenter sejungunt, tribuuntque his ligni tum pulchritudinem, tum densitatem singularem, quodque τῷ χρώματι λωτοειδῆ colore Celti similis videantur. Inter has, & illa refertur; cujus folia peculiari (ut ait Plinius) miraculo, tactis ab homine ramulis protinus cadunt. Veriùs forsan Theophrastus τὰ φύλλα ὥσπερ ἀφαυαινόμενα συμπίπτειν φασίν, εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν καὶ θάλλειν: folia quasi hebetata concidere inquiunt, post aliquod deinde tempus reviviscere, rursumque virere. Idem folia non πτεροῖς, id est, alis, ut legisse videtur Plinius; sed πτέρυξιν παρόμοια, filicibus non absimilia scripsit: a quibus non valdè recedunt, quæ de anonymâ in Malavar planta prodidit Garzias. Mihi nihil horum circa Memphin observabile sese obtulit.

Ad Cap. VII.

De Palma.

ÆGyptus ut olim nobilium scientiarum cultu, & illo nunquam satis laudando τῆς ψυχῆς ἰατρεῖῳ animæ scilicet medicinali, præ reliquis orbis populis palmas quas possidebat, jure merebatur: ita hoc seculo penitùs à barbarie obsessa, i mò infessa, quas numerosissimas alit Palmas, nullas meretur: utpote fœdiùs abjecta, quàm ut agnoscat saltem pristinam omnem dignitatem. Causa tam fœcundi proventus in telluris habitudinem referenda est, arenosam scilicet, & salsam, plantæ huic gratissimam. Vidi his locis, in palmarum veluti sylvis, terram copiosissimi nitri calida nive latè conspersam, vel aquis Nili, vel roscida noctium humiditate fervidiore sole perustis. Nec opus hic maritali cinere palmæ effæminatæ vigorem incitare. Flantibus enim ab Austro per Aethiopiam, & steriles Arabiæ desertæ campos urentibus ventis, ingens nitrosi pulueris sublata vis, abundè cacumina palmarum vegetat. Arbor ipsa quò magis assurgit, eò minus ramorum abscissorum nodis horret: annosior nodos penitùs obliterat. Per tubera quædam inæqualia scansilis, scabram tamen corticem ad extremum usque senium servat. Vero scilicet Virtutis simulacro, quam callosas obtinere manus rectè pronunciavit sapiens Romanus. Fructus palmæ Dactyli sunt, unde & nomen Dachel Arabibus retentum. Vberrimus illorum quamvis à pau-

culis ramis exortus, meminique sic onustum fuisse dactylis suis unicum racemum, ut eum attollere à terra præ pondere vix sustinerem. Quod ramis subiicitur candidum tenerumque corpus, quidam medullam palmæ nuncupant, rectius Theophrastus ἐγκέφαλον φοίνικος, Palmæ cerebrum appellat: rectissimè omnium Dioscorides ἐγκάρδιον τοῦ πρέμνου, caudicis cor: ab eo enim insertis sibi ramis vitalis vigor suffunditur, & nutrimenti gerulæ fibræ in terram altricem descendunt. Hoc arbore collapsa exemptum, in cibis expetunt Aphrodisii, Veneris suæ officium spissaturi, nec cephalalgiam exinde graviorem verentur. Nicander νέοις ἀσπαστὸν ἔδεσμα adolescentibus expetitum cibum cecinit. Dactylos colore tum flavos, tum obscuriùs purpurascentes ferè conspexi: rarissimi nucleis carentes, quos ἀπυρήνους vocat Theophrastus. Non inter majores eiusdem arboris veluti ἀσπέρμους & imperfectos; (quos agnovisse tantùm videtur Plinius) sed probè maturos, & juxta cum reliquis in eadem arbore, suavitate eximia palato blandientes. Communibus tamen paulò minores, & colore flavescentes observavi: in quibus nuclei vicem folliculus cartilagineus sustinebat, cavitate saltem inani circa medium relicta.

Ad Cap. VIII.

De Sebesten.

Folia Sebesten extremis suis ovalem magis rotunditatem, quàm angulosum acumen præ se ferunt, superiore ambitu per spatia inæqualia variis incisuris dentata, & nonnunquam se mento veluti subducto mutilata. Fructus brevi insidet caliculo, rotundus, tenui spinosoque umbilico leviter adstrictus, matura que jam ætate pellucidus, non insuavi glaucedine inclusa semina manifestat. Succus huic expressus, excellens præbet remedium catarrhis ad fauces labentibus sistendis. Minimam tamen eius operam Aegyptii flagitant: inter quos albo corvo similem dixeris, quem acriùs destillationes exercent. Causam agnoscas pro ratione Climatis, siccius cerebri temperamentum, & quod à vini illecebri (si militem excipias, & pauculos qui Christianis addicti sunt) ex religionis edicto vulgus abstineat. Illius enim immoderatum usum, ut verè cecinit Lucretius,

Con-

Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi.

Ad Cap. IX.

De Tamarisco.

TAmariscus non Aegyptiis tantùm Italisque; sed aliis etiam Europæ populis, ac Germanis, qui Rhenum & Dannubium accolunt, satis nota est. Sed in Aegypto amplior arbor, & non raro densiore sylva prædia villasque circumplexa. Luem impura Venere contractam, verè scripsit Alpinus, non secus Tamarisci, quàm Guiaci decocto profligari. Non enim adeò gravia sunt quæ hic infecti patiuntur. Excludit mali impetum purior corporum constitutio, tum illa sudorum & per continuum aeris æstum,& balneorum frequentissimum usum,consueta profusio. Vidi sæpiùs pessimè affectos, & in ossa ipsa fœdè sæviente morbo, cùm extrema omnia frusta alibi tentata fuissent, in hac regione citra magnam præsidiorum vim, noxiam luem evasisse.

Ad Cap. X.

De Tamarindo.

ARborem hanc iuxta cum siliqua sua, Arabes Aegyptum sæculo præsenti incolentes, Tamar hendi, i d est fructum Indicum nuncupant, quòd ex Orientali India in Arabiam felicem, vel ex Aethiopia, ut rectè Alpinus noster, copiosiùs in Aegyptum Arabiamque finitimam deferatur. Aethiopiam autem Indiæ nomen apud veteres obtinuisse, ex Servio, aliisque notius est, quàm ut ambiguitatem ullam relinquat. Non igitur ex Arabia ad Indos, ut nonnulli scripserunt; sed ex India ad Arabes commeat nobilis hæc planta. Longiùs abeunt à vero qui à dactylis palmulisve nomen derivant. Non enim Tamar dactylum solùm denotat; sed ut notum est Arabicæ linguæ vel tenuiter peritis, fructum omnem; imò latissimo nominis significatu, arborum animantiumque fœtus complectitur. Nam ut ipsi quoque fatentur, Tamarindus ex Palmarum familia non est, utpote cum quibus nec stirpe, nec floribus, nec foliis ulla ipsi in-

tercedit similitudo. Addo quod nec fructu. Compara Tamarindi siliquas cum dactylis, & facilè tibi constabit, quàm distent æra lupinis. Qui Tamarindum siliquam vocant Arabicam, audaces nominum calatores, inveniant deinceps discrimen inter tot alias plantas, quæ siliquas inter Arabes producunt. Arborem amplam, foliorumque perenni vigore conspicuam, iuxta caput aquęductus qui ad arcem urbis Cayri contendit, observavi: sed cujus folia ramuli sui lateribus, intervallis insident æqualibus, numero scilicet utrinque paria, nullum relinquentia in extremo ἄζυγον foliolum, secus quàm hic adumbravit pictor. Fructus Tamarindi Acaciæ quidem siliqua brevior; crassiór tamen & latior, grataque medullæ aciditate inter alvum solventia medicamenta præcipuè desideratus: quamvis segniùs opus expediat, quoties vel immaturior abripitur, vel temporis diuturnitate siccior assumitur.

Ad Cap. XI.

De Agiahalid.

IAM quadragesimus & sextus annus exactus erat, ex quo Prosper Alpinus Aegypto discesserat, quum vicinos Consulum Venetorum palatio hortos in Cayro urbe curiosiùs lustrarem, nec arborem tamen Agiahalid oculis usurpare licuit. Excisam *igitur* fuisse ratus sum, aut quod ad metam ætatis provecta, obsoleti iam vigoris, atque ornatu foliorum penitùs exuta, horrida spinis facies, amœnis in locis amplius non placeret. Aut incuria neglectuque cultorum, aliorsum actis, vel obstructis alluentis Nili rivulis, ut sæpè contingit, exaresceret. Adeò verè dulciloquus Senex, τὴν ἐμφανεστάτην εἰς τὸ χεῖρον μεταβολίας αἰτίαν εἶναι τὴν ἀγεωργησίαν; manifestissimam in peius mutationis causam esse operæ neglectum, scripsit: idque in aliis, quas per hæc tempora in Aegypto desideramus plantis obtinere, certissimum est.

Ad

Ad Cap. XII.

De Vzeg.

IN urbis Cayri hortis, ædibus Consulum Venetorum propiùs adsitis, non arborem à Prospero Alpino descriptam; sed fruticem vidi, in quatuor aut quinque cubitorum longitudinem adultum, & latiùs implexa ramorum serie sese spargentem. Eum horti præfectus Agiahalid nominabat, & in curanda lue Venerea utilem eiusdem operam commēdabat. Suspicari subiit, an à proximè designata Agiahalid, hæc suboles superstes remanserit: ab illo gigante hæc coactæ brevitatis pumilionum familia, progeniem datura vitiosiorem. Reuera tamen eximia planta est, quam propositæ Vzeg figura, spinis, fructu, floribus, radicumque flexu satis evidenter exprimit. Folia tamen circa spinarum basin non quaterna tantum; sed plura dispari magnitudine consurgunt. Olivæ folii minora, magisque tenella: nec in acumen angustata; sed buxeorum instar rotunda. Flores ut minuti; sic numerosi existunt: non ventricosi, sed à contractiore tubulo sensim ampliati, amabilem in risum hiulca labella diducunt. Sinum intimum flauedine tingunt, purpureis aliquot punctis recessu foliorum inscripti: reliquo corpore Hyacinthi ferruginem violis permiscent, utroque tamen dapsili halitus gratissimi exspiratu longè suaviores. An succus ex hoc frutice paretur, quem Lycium Indicum vetustissimi auctores nominarunt, ex notis plantæ faciliùs divinari licet; quàm ex Aegyptiorum sermone colligere. Sanè qui ex vicinis Arabiæ atque Aethiopiæ locis huc in utribus affertur condensatus succus, saltem ritè paratus sit, Lycii Indici indolem minimè obscuris signis exhibet. Eum venditores Coulàn appellant: circa Libanum montem ab accolis Zaroa nuncupari, & à Psalte Regio in sacris Odis Hadhad in itineris Orientalis descriptione Ravolfius prodidit, quamvis & Arabes nomen usurparint. Cæterùm hodiernum Cate indicum, quod Lycium veterum existimabat Garzias, quamvis viribus æmulum; ortu tamen diversum, nec ut priscum illud compositione sincerum est. Nam ex Hachic arboris contusis decoctisque ramis (quorum folia Ericæ vel Tamarisci speciem præse ferunt) tum pulvere seminum Machani, & alteriùs ignoti ligni scobe compositum, atque in pastillorum formam redactum, variis in locis divendi scripsit.

Ad

Ad Cap. XIII.

De El hanne.

PLantam hanc, Arabum in Aegypto vulgus El hanne, Medici Al canna, nemo (quod sciam) Tamarendi nominat. Non enim Indiarum fructus est, aut quicquam possidet, quo in comparationem cum Tamar Indo veniat. Fruticis potiùs vegetioris, quàm arboris proceritate adultam in villis passim compertam habui, confusa ramorum sylva cultorum negligentia latiùs implicitam. Rectiùs eam ex Dioscoride Prosper Alpinus descripsit, quàm icone pictor expressit, qui nec foliorum lineamenta, nec florum parvulorum densam collectionem penicillo assecutus est. Olivæ foliis non absimilia el hanne producere vidi. Breviuscula pleraque; sed latiora, & sub grato virore magis tenella. Nec ternis tantùm, quaternis ve ordinibus tanquam alis; sed pro virgularum longitudine, denis, duodenis, pluribusque ramorum latera stipant: sic tamen, ut inferiora folia ampliora, ab his succedentia deinceps ad extremum usque rami, paulatim minora conspiciantur, μονοφύλλῳ circa apicem vix ullo superstite. Flores El hanne Sambucique suppares globi, mulierum potissimùm deliciæ sunt, canistrisque plebis in balinea deferuntur, in quibus illæ lymphatæ dicam, an lymphaticę totos dies inguini, cuticulæque perpoliendæ operam ludunt. Decocto foliorum crines defluentes firmant, & ingratum pediculorum sodalitium excludunt. Eodem illo unguibus hemicycli forma, diutinè hærentem notam appingunt: atque ut olim conscripti patres lunulatis calceis ordinem suum; sic illæ lunulatis unguibus, nescio quod elegantiæ specimen profitentur, aurantii mali colore conspectiores.

Ad

Ad Cap. XIIII.

De Balsamo.

ARbores salubri ploratu lachrymas pretiosas eliquantes, magnitudine formaque dispares, in Peruvianis ac Mexicanis oris dudum observarunt, qui ad occidentem solem positas Indias perlustrarunt. Omnibus tamen veluti nomen commodat; sic eximia suavitate præstantior est, qui ex vulnerato Balsami cortice promanat liquor nobilissimus. Verè Pausanias τῶν μύρων εὐοσμότατον, odore præ cæteris unguentis jucundissimum scripsit, & dentis viperinæ noxium virus benigno succo temperare. Neque Hercules nugamentum est, (quamvis Bisciolæ sic videatur) quod subiungit Pausanias, Arabes olim viperis circa Balsamum hospitantibus, vim omnem tanquam sacris abstinuisse. Plures enim eorum non ut Psylli proserpentes hasce bestias odisse; sed deprehensas intra ædium quoque consepta, ceu genios loci veneratos fuisse, victumque suppeditasse observavi; quantumvis minor hodiè superstitio, quàm priscis illis seculis animos occupet. Cæterùm plantæ Balsami natale solum rectè Alpinus Arabiam asserit, vel hoc nomine cæteris provinciis celebriorem, ex qua ramorum, fructuum, & odorati illius succi copia satis ampla in Aegyptum defertur. Theophrastus ἄγριον οὐδὲν εἶναι τὸν βάλσαμον οὐδαμοῦ, Sylvestrem nullum esse balsamum ullibi famâ acceperat: revera tamen in Arabiæ collibus, quamvis alia cura nulla accedat, felicibus sylvis progeniem submittit. Qui in Palæstina atque Aegypto plantam hanc meliore cultura dignatus fuerit, neminem cognovi. Ita iuxta cum bonarum artium studio, rerum optimarum cura hisce locis obsolevit. Incisio ramorum, singulari olim solicitudine peracta fuit, ut ex Plinio accipimus, cumque proliciendus esset fragrantissimus liquor, artifici temperamento librata manus hoc præcipuè cavit, ne quid ultra corticem violaret, tanquam ferro læsis eius vitalibus, protinus Balsamum emoriretur. Tacitus quoque plantam hanc ferrum expavescere, adeoq; testæ lapidisve fragmento corticem dividendum fuisse tradidit. Sed hæc de tenellâ plantâ atque in alieno solo languidiùs adulta, habenda sunt: non item de indigenâ illâ, quæque validâ jam stirpe terram patriam cōplexa est. Hanc enim ferrum non reformidare, nec durius in compescendis ramis fluentibus imperium, abundè mihi confirmarunt Arabes,

qui horum fasces integros Cayrum deferunt. Atque huc respexisse videtur Theophrastus qui ὄνυξι σιδηροῖς, unguibus ferreis incisionem caudicis factam prodidit; quem sequitur qui de Simplicium Medicamentorum facultatibus scripsit medendi Præceptor. Non tamen existimandum est, quod Memphim ex Arabia lagenulis uterisq; plenis advehitur Balsamũ, quantumvis odoris suavitate gratum admodum sit, sincerioris concretionis lachrymam esse. Minimum equidem eius ex plaga corticis destillat: maxima pars ligni frondiumque decoctione conflatur. Neque ipsa tamen satis illibatę Naturæ; sed Terebinthinæ Cypriæ adulterio plerumque vitiata est.

Ad idem Caput.

MAhometis sepulchrum, cuius meminit Pr. Alpinus, alii sub fornice templi a magnete pendulum, alii fulmine ad inferos adactum vulgo persuaserunt, forsan odio magis religionis, quam studio veritatis. Contrarium tradit hominum quotannis ex Medina in Aegyptum redeuntium constantissimus sermo, & recepta cum expresso monumento tẽpli totius accuratior ichnographia. Extructum id juxta cum soceri, generique sepulchris, simplici, sed pretioso lapide Triplici deinde quadrati ambitus septo munitum est, quorum quod proximè conditoria cingit, humilioris structuræ, Adamantem internâ muri facie insertum continet, quem omnium quos Sol videt, magnitudine specieque nobilissimam prædicant: dignum Scythico Monarchâ anathema, replicatuque radiorum â Sole conceptorum, veluti cælesti fulgore jacentis Mahometis arcam perstringere. Intermedium septum, auro gemmisque splendidum velum exornat. Id Byzantini Imperatores solemniter Medinam transmittunt, cumque per urbem Cayrum publico spectaculo defertur, Aegypti prorex & proceres, tum myriades aliquot populi, extra portas venerabundi prosequuntur. Extra hæc sepulcri consepta, Fatimæ Mahometis filiæ monumentum, sacrorumque librorum aliquot thecæ visuntur. Sed hæc παρέργως. Ad Arabes venio, de quibus hîc Prosper Alpinus, suntque ingentis illius deserti incolæ, verè ferocissimi atque audacissimi homines, adeò ad facinora omnia prompta manus, animique robur inter sævissima tormenta invictum, sive Marsyæ instar vivis detrahatur pellis, sive adactis per vitalia sudibus, lenta fœdaque morte conficiantur. Equi ipsorum habitudine pulchri, cursus velocitate vel Cyllaro pares, inedia & sitis, cum plerisque tam squalidæ regionis animalibus, patientissimi. Vi-

di

di exacto noctis ac diei integro spatio, sub fervido sole laxiùs alligatos equos, unam alteramve aquæ unciam ad refectionem satis habuisse. Equites ipsi toris lacertorum valentes, simplici tunicâ, & reiecto circa humeros è sptocibus filis panno amicti, sagittis hastisque formidabiles sunt. Quæris, quo fomite magni adeò spiritus incrementum sumant? Semicoctus sub arenis, & sordidus panis, lac pressum, anguriæ similiumque fructuum arrosus cortex, consueta magis stomachi fulcimenta sunt. Potum Nilus exhibet, limo turbidissimus, aut è cisternis fontibusve petita purior, & carior aqua. Exclames cum Zenone Romano, si hæc videas. Quantulum est, quod naturæ satis est! Quàm non multa poscit, quæ tam parvo dimittitur! Europæis nobis, haud ventris nostri fames magno constat; sed consuetudo; sed ambitio.

Serif princeps in expeditione, quam in Iamin ante septennium Turcæ moliebantur, dolu blanditiisque circumventus, ab exercitus duce strangulabatur, quod cum rebellibus populis sensisse traderetur. Ea res Arabum in Turcas odium vehementiùs concitabat, factumque deinceps, ut non sagittis; sed sclopetorum inopinato fulmine reiecti à montium aditu milites, hærentem circa littus Erythræum Ducem suum, commeatu deficiente, ingloriosâ manu obtruncarent.

Byssum duplicem agnoverunt veteres, maritimam, & terrestrem; quam hîc linis Indicis non inscitè comparat Alpinus. Singularis enim horum mollities est, & subtilitas, qualis vix aliis major. Xylina tamen pleraque observavi, priscis Romanis satis cognita, nec inter Indos tantùm; sed Arabes etiam felicioris provinciæ, atque Aegyptios elaborata, cùm graviori iugo nondum premerentur, tam eximio ferè candore, & tenuitate perspicua, ut ventum textilem, nebulamve lineam oculis usurpasse tibi videaris. Attamen antiqui Byssum asbestino lino, ex quo funebres Regum tunicas texebant, æstimatione ac raritate proximam constituebant, auroque non minus fulvi coloris nitore, quàm pretio par fuit. Ex arboribus illam apud Indos legi Philostratus & Apollonius tradiderunt; qui nec à serico satis distinxisse videntur. Inter lina sanè byssum recensuit Plinius, eamque iuxta cum Pausania, circa Elin in Achaia genitam, monumentis suis prodidit. An etiamnum reperiatur iisdem locis, compertum non habeo. Lipsius noster, Musarum ocellus, in Comm. ad Tacitum, per hæc secula perditis annumerat.

Ad idem Caput.

BAlsami succus, ut crassitudine; sic viribus quoque plurimùm differt: igneis aereisq; partibus cum suavissimo halitu sensim facessentibus. Quum senilem spissitudinem nondum contraxit, per os exhibitus, visceribus putredinum & corruptionis labem emaculat: adeoque iecore ac potissimùm renibus fœdo abscessu laborantibus, inter præstantiora auxilia præcipuam operam contulisse, dudum experimentis innotuit. Proficit idem in pulmonibus, quos ulcera infestant, sive in bolos redactus deglutiretur, sive linctu crebro asperæ arteriæ insinuaretur, admixtis, cùm id febrilis ardor exposceret, quæ calorem succi contemperant. Vulnera omnia quàm citissimè consolidat Opobalsamum; sed hactenus, ut simplicia sint, & quorum oræ invicem adduci possunt: quæ enim secus habent, quæ cava, contusaque sunt, ossium item ac nervorum noxis implicita, tardiùs sanescere certum est. Vbiq; tamē quâ putredinem abarcendo, quâ calorem insitum refocillando, *τῆς φύσεως ἐνεργούσης* Naturę adminiculantis conatus strenuè promovet An cōdiendis defunctorum corporibus adhibitæ olim fuerint suavissimæ Balsami lachrymæ, Iudæorum magis vulgiq; sermone percrebuit, quàm vetustiorum auctorum scriptis Quid Aegyptii fecerint, & quidē cum diligentissimè cūdirent, accuratè ab Herodoto traditum est, qui *σμύρνης ἀκηράτου, κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων περιτετριμμένως, πλὴν λιβανώτου*, myrrha pura, casia, aliisque contritis odoribus, excepto thure, interanea replevisse scripsit. Cùm sumptuum compendio studebant, cedri tantùm succo infuso, & quæ per nitrum facta salitione, corpora ævis incorrupta servabant. Subsequentibus tamen seculis, in externâ regiorum cadaverum *κομμώσει*, cum aliis aromatis balsami quoque fragrantiam placuisse, constat ex Corippi Aphricani versibus, de Iustino principe funus patrium curante.

Thura Sabaa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum alia species, unguentaque mira feruntur,
Tempus in aternum, sacrum servantia corpus.

Ad Cap. XV.

De Calaf.

INter exoticas Salices, floris tum suavitate, tum eximiis viribus præpollet hæc, quam Calèb & Calàf vulgus Aegyptium appellat. Folia longitudine indicem digitum, latitudine verò eundem etiam geminatum adæquant, cùm adultâ jam ætate planta robur suum collegit. Inter Syros, vicinosque alios populos angustioribus foliis contracta planta conspicitur. Eam tamen nulla insidet lanugo: nec à medio nervo productæ fibræ ambitum foliorum divisuris interstinguunt. Ad foliorum exortus folliculi emergunt singuli, rubro leviter colorati, Cordisque diastole sese stringentis figuram exprimunt; unde & nominis & virtutum ratio primitùs deducta videtur. Calèb enim sive Calub Arabibus Cor denotat. Dehiscens tandem folliculus floreum dicam, an laneum partum excludit, interfusâ candori flavedine pictum, quem in rectum exiens inclusus semineus scapus fulcit. Aqua per variolas deturpatis infantulis cum Bezoar aliquot granis utilissimè exhibetur.

Ad Cap. XVI.

De Bon.

IN viridariis Aegypti, quæ quidem accedere licuit, arborem hanc non ampliùs conspexi. Fructu equidem ipso nihil in vulgus receptius, qui ex Iamin seù Arabia feliciore delatus, inter publicas merces certo fœnore quàmplurimos ditat, eumque Buncho Avicennæ arbitrantur. Potus ex huius decoctione paratus, aliquot mille tabernis in urbe Memphi divenditur, quem adhuc calentem ingens hominum multitudo pitissando sorbillat, sive otii sui oblectamentum, sive bonæ valetudini firmamentum quærat: præcipuè quum cor, aut Ventriculum languor occupat,

——Stomachoque tumultum
Lenta parit pituita

Nec

Nec desunt qui saccharo potionis amaritudinem diluant, nucleumque fructus integrum saccharo incrustatum, inter bellaria sua debellent. Neque id in Aegypto tantùm, sed finitimis etiam vasti illius imperii provinciis usu frequentissimum existit: quæ res, & pretii magnitudinem, inducit, & inter Europæos utilissimi alioquin medicamenti raritatem efficit. Qualitatum, quas manifestas vocant, harmonia in hoc fructu dispar est. Cortex enim frigidi particeps, cum exsuperante tamen siccitate; nucleus verò moderatè calidus. Ille leui quadam aciditate; hic evidenti amaritudine linguæ sensum haud inclementer afficit. Itaque nec stomacho nauseam infert, quantumvis largiùs decoctum hauriatur, nec intensiore caloris gradu eidem infestum est; saltem modicè torrefiat, atque in marmore pistillo ligneo contusum sit. Corticis decoctum inter æstivos ardores rectiùs febricitantibus exhibetur: rursumque cùm frigidi & crassi succi, viscera communesque corporis ductus noxio infarctu impediunt, alterum è tosto contusoque nucleo præferendum est: haud neglecto tamen utriusque, cùm id usus exigit, temperamento.

Ad Cap. XVII.

De Bahobàb.

FRuctum hunc Cedrómelum quispiam Aethiopicum dixerit, aliquo sanè cum discrimine partium; nullo tamen aut perexiguo Virtutis. Cortice velatur denso pariter ac firmo, qui coloris fuscedine patrii soli squalorem non obscuris indiciis patefacit. Circa pedium, cui subnixus, in rugas aliquot complicatur, sensim tamen in Cucurbitæ lævorem plus aut minùs explanatur. Altero extremorum, vel leve quoddam fastigium profert, vel obliterato angulo in rotundum magis se componit. Dissectus per medium, ut in Aegypto venditur, siccior iam fructus, plexum exhibet, per latera & in longitudinem diductis fibris expansum. In eo ossicula dispari magnitudine plurima locantur, coactâ pressulâque rotunditate, hinc gibbis prominula, inde sinibus excavata. His effractis semen excluditur, fusco nigrore splendidum, cuius albicans pulpa non insuavi sapore gustum afficit. Plexum Bahobàb, atque insertum plexui semen, copiosa stipat materies, levi rubedine colorata, quæ facilè digitorum attritu, fructuque concusso in pulverem dissipatur, quoties aqueum humorem inclusus calor dudum resolvit. Nec diversi generis, fructum existimo,

ſtimo, Abauo dictum, quem Cluſio ſuo doctiſſimus Bellus deſcripſit; quamvis Proſper Alpinus Bahobab utrinque acuminatum exprimat, & pollinis aciditati lemnii ſigilli ſtypticitatem tribuat. Iam enim dudum obſervarunt rerum naturæ ſtudioſiſſimi viri, ex eiuſdem Bahobab ſeminibus propagatam ſobolem, & foliorum diſſimilitudine luſiſſe, & ſaporum quoque (ut de Citriis notum eſt) diverſitatem exhibuiſſe.

Ad Cap. XVIII.

De Goſsipio.

XYlum tam fruticis humilitate, quàm arboris inſigni proceritate, ad aquæductum urbis Cayri conſpexi. Nec dubium mihi ullum, ex arboribus eam eſſe, quas ἐριοφόρους laniferas Theophraſtus appellavit, foliiſque viti ſimiles ſcripſit. Plinius ſuperiore Aegypti parte, & in Arabiam vergente, fruticem gigni tradidit: diſertiùs Theophraſtus in Tylo Arabici ſinûs inſula arborem frequentiùs aſſurgere, nec Arabibus ſolùm, ſed Indis quoque communem retulit. Folia ramulis inſident violaceo tinctis, quæ perfectiùs adulta, quinque veluti laciniis profundiùs diviſa reperiuntur, è quibus cùm inferiores duæ, tum ſuperior & longior exiguo folii additamento auctiores habentur. Florem illum dilutâ flavedine pallidum, & circum oras, umbilicique ſinum eleganti rubore purpuraſcentem (qualis in vulgatiore Xylo notatur), in hoc vaſtiore Goſſipio videre non contigit; ſed glomum tantum laneum pomi magnitudine, intra vireſcentem membranam collectum; quâ denticulatis veluti ſegmentis hiſcente, Gallicâ nive candidior fœtus in auras eluctatur. Is interiore bombyce maturior, ſemina continet fuſco colore umbroſa; non uvarum congeſtu invicem contigua; ſed intervallis ſuis nonnihil dirempta. Ex lanis ingens illa pannorum multitudo elaboratur, atque ut Theophraſtus loquitur, σινδόνας ὑφαίνουσι τὰς μὲν εὐτελεῖς, τὰς δὲ πολυτελεστάτας ſindones texunt alias viliores, alias pretioſiſſimas. Ex his veſtes illæ ſacerdotibus olim Aegypti gratiſſimæ parabantur.

Ad Cap. XIX.

De Sambac.

PRæter Myrthos vix habebant prisci illi Botanophili, quod odorati spiritus suavitate, inter Aegyptiæ Floræ delicias commendarent. Et τὴν μυῤῥίνην μὲν τῇ εὐοσμίᾳ θαυμαστὴν· τὰ δὲ ἄλλα ἄοσμα καὶ ἄνθη. Myrthum quidem fragrantiâ mirabilem; alia verò omnia, cùm odoris, tum floris expertia, scribere ausus fuit à divinâ loquentiâ nominatissimus senex. Per hæc tempora, quam Europæis opponat Aegyptus, vix delinificâ halitus gratiâ nobiliorem plantam hoc ipso Gelsimino possidet. Et vulgatioris quidem Iasmini latè diffuso virgarum plexu, passim in hortis sylvæ conspiciuntur: non item excellentioris hujus, & maiore cultu dignissimi. Adolescit autem stipite robusta, atque adversus fortuitorum impetum firmissimâ, quæ ternis quaternisque cubitis in altum porrigitur. Rami flexus omnes facili obsequio admittunt, florem exhibentes lacteo candore nitidum, qui Catalonici Iasmini, aureique mali floream suavitatem misturâ iucundissimâ confertim naribus ingerit. Prosper Alpinus simplicem in flore foliorum ordinem exprimit: ego duplicem sæpiùs agnovi; nec octo, sed decem aut duodecim folia, roseâ serie breviore tubulo digesta. Theophrastum verò Aegyptiæ Floræ acerbiùs insultantem, quid excuset? quum provincia illa tota odoratissimis hortis, nihil vel Tantalo, vel Hesperidibus invideat. Scio elegantissimum senem ad pumila quædam & molliora florum agmina respexisse, atque ut ipsus scripsit, ὑγρότερα τὴν φύσιν ὄντα; non ad ea quæ sicciora, & quorum parentes ligneâ firmitudine compactiores, altiorésque staturâ deprehenduntur.

Ad Cap. XX.

De Lablab.

PHaseolum hunc reptili sublimitatis aviditate, cum ab utroque latere ædium nostrarum ad cacumina evasisset, fenestrarumq; cancellis

non

non ingrata umbracula prætexiſſet, repentè exaruiſſe memini. Folia obſcuriùs vireſcentia ramulis inſident, ad nigrum tendente purpurâ coloratis. Nec diſſimilis florum tinctura, qui copioſi, ac ſpiceo veluti congeſtu, non circa ſummum tantùm caudicem; ſed ſparſim iuxta foliorum exortus virgulâ ſuâ prodeunt. Alibi candido colore lacteſcente naſcuntur, cætera vix ab aliis phaſeolis ſpecie mutantes. Semina in ſiliquis rectè notavit Proſper Alpinus, alia nigricantia, ſubrubra alia; ſed maculis ferè nigris infuſcata, hiliſque candentibus inſigniuntur. Obſervavi frequenter â plebe in luſu uſurpata, & proiectis ad proximum parietem aſſulis, è ſcrobibus alternatim fuiſſe promota: quemadmodum in alveo ad teſſeræ iactum orbiculi tranſponuntur. Laab autem apud Arabes luſum innuit, adeoque nominis ex eo derivatio non improbabilis.

Ad Cap. XXI.

De Abrus.

Ex Arabia felici in Aegyptum delata hæc corallini ruboris piſa, rectiùs in puellarum cultum; quàm corporis alimentum cedunt. Ea cum Proſpero Alpino Phaſeolis omninò ſimilia ſcriberem, niſi tum exiguus ſupra Orobi craſſitiem habitus, & coactior in ovalem ambitum rotunditas diſcrimen aliquod inveniret. Tota verò coccineo colore decora non vidi; ſed quâ parte folliculo nectuntur, ſplendido atrore maculata. Folia virgulis ſuis æquatis inſident ordinibus, maximè quæ iam perfectiùs adulta ſunt, omniaque cœleſtis caloris promum condum mirâ converſione proſequuntur. Equidem ut noctu mediâ terram; ſic in meridie culminante ſole ἐυρανόσκοποι, ſublatis alarum extremis cœlum ſpectant, Magno equidem argumento, perfectiora eſſe, quæ ſuperiora: nec hominem ipſum ἄνθρωπον eſſe, niſi cùm ἀνάρροπος & ſupra humana ſeſe erexerit, res alioquin (ut Seneca confitetur) contemptiſſima. Cæterùm cauſas illius converſionis foliorum dudum propoſuit ſapiens Ereſius, & nocturnæ quidem foliorum converſionis, ξυμίον, καὶ οἷον πηγνυμένον τὸ ὑγρὸν, coactum, & veluti concretum (à frigido) humidum: quo rurſum â calore digeſto atque expanſo, paulatim dilatatio ſuccedit. Diurnam autem foliorum inclinationem, in ἀφαίρεσιν τοῦ ὑγροῦ· humoris detractionem refert. Eodem enim, inquit, convertuntur, quò humor radiante Sole provocatur.

D Ad

Ad Cap. XXII.

De Mauz.

MAuzam hanc in pluribus Indiarum provinciis suaviter hospitari, satis recentiorum navigationibus detectum est. Quòd Palæ arboris nomine antiquitùs quoque cognita fuerit, cuius fructum Arienam appellari, plurimumque in Sydracis produci scripsit Plinius, facilè iuxta cum Clusio persuadeor: haud ignarus, regionum diversitatem, in eiusdem generis arboribus, cum fructus sapore; tum foliorum lineamentis insignem parere diversitatem. Folia tenella statim in longum & excelsum emicāt, cannarumque Indicarum more priùs convoluta, paulatim deinceps explicata solem admittunt. Eorum haud sylvosa multitudo est; gratissimus tamen viror. Latitudine communiter cubitum geometricum non superant: longitudine vel quater excedunt, adeoque singula in aprico quiescentium toti corpori tam umbram sufficere; quàm adversus insectorum molestias operimentum præbere queunt. Nervo in longitudinem excurrente satis robusto sustinentur, á latere tamen ventorum afflatu concussa facilè scinduntur. Florem observavi Lilionarcisso maiorem; sed globorum, & Meleagridis instar extrema foliorum substringentem coloreque ferrugineum. Huius osculo commodùm aperto, seminalem salivam depluere, vulgo quidem persuasum est: abundè tamen compertum habeo ex iis quas domesticus hortulus alebat Musis, etiamsi nondum ad florem pervenissent, áctis in transversum radicibus sobolem pullulasse. Fructui recenti non ea saporis gratia est, ut citra Laconicum exercitium, aut condimentum Socraticum Europæis valdè placeat: corticem tamen qua parte pulpæ coniungitur, florea Gelsimini fragrantia commendat.

Ad Cap. XXIII.

De Sesban.

SEsban plurimis in villis præterfluentis Nili ripas amœnâ viriditate prætexens, ex Memphi urbe Heracleam proficiscentibus sæpiùs conspicitur Rami diluto virore nonnihil rufescentes, asperitudine quadam ad contactum inæquales. In iis folia virgarum latera pari ferè numero stipantia, si maturior planta fuerit. Vidi truncum ipsum fruticis, raris brevibusque spinis aculeatum. Siliquæ seminibus inclusis prægnantes, prò istorum numero, distinctis veluti locellis coarctatæ sunt.

Ad Cap. XXIV.

De Sofera.

FIguram huius plantæ duplici nomine vitiosam aliqui arbitrantur, quòd non servatâ foliorum æquali serie, impar unum singulis ramentum apicibus folium inferat, quodque seminum gerulas siliquas, non surrectas; sed pronâ gravitate pendulas exprimat, eaque princeps inter Botanicos Honorius Bellus notavit. Sed utriusq; culpæ facilè & fidenter Prosperum Alpinum purgo. Quamvis enim frequentiùs paria sint foliorum agmina; interdum tamen adiectum extremæ virgulæ privum folium: imò in eadem planta & parem foliorum ordinem, & imparem observavi. Vt habeas sæpiùs ubi cum Marone canas,

amant alterna Camœnæ.

Sed & ubi ἀμοιβαῖον hoc succinas:

numero Deus impare gaudet.

Siliquæ cœlum sanè spectant. At nec hoc perpetuum est, cum cœlestis caloris inæqualis dispensatio, humidicatumque modò copia, modò inopia, positum illarum permutet. Planta binos in altitudinem cubitos adæquat, & non raro superat; siquidem solem, solumque conveniens nacta sit. Camerarius Noribergæ suæ decus, Sopheram circa ramorum exortus rubentibus verruculis spectabilem in hortis aluit.

D 2 Ad

Ad Cap. XXV.

De Beid el Sfar.

Beid el Sfar peritioribus Arabum Medicis Offar simpliciter,& El Vfar dictum, fœcundis quaquaverſum radicibus actis numeroſâ ſobole terram hoſpitam occupans,plurimis iam Europæ locis ſatis vulgata planta eſt. Eius hîc accuratiorem effigiem, cum fructu, qualem in temperatiore producit climate, ſubiungere placuit. Folia vides, ſtabili coniugio ex intervallis conſociata, atque â latiore baſi, in longum gracileſcente cono rotundata. Firma quidem illa ſunt, ad Aloes tamen craſſitudinem minimè deducta. Nec à tenerâ ſolùm adoleſcentia ſenili canitie, & inſperſis veluti pruinis cum virore albicant; ſed etiam caule, ramis, nervulisque cunctis, acre & amarum lac ubertim effundunt: quod concreſcens locis calidioribus, non *ſaporis*; ſed candoris quadam ſimilitudine Mann, & Saccar el uſar appellatum fuit. Flores circa ſummos ramos glomeratim, non ſparſim producuntur, ſenſimque porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: quantumvis languente collo cernui terram reſpiciant. In his externa foliorum ſeries, obſoletiúſque colorata, verſus calycem reflectitur; reliquæ deinde rectiores, crocum ſuum vegetiori purpuræ miſcent, eductisque ſinu roſeo *ſtaminibus* apices minutos appendunt. Omnes apum deliciæ ſunt, & odorantibus liberaliter inhalant, illa,ut cum Poeta loquar

aerei mellis cœleſtia dona.

Fructus rectiùs Beid el Oſsar, non tam ovum quàm teſtis Offar dicitur. Equidem fervidiore ſole maturatus amplior evadit, & cum ſocio ſuo camelorum teſtes pendulâ didymorum figurâ ſatis concinnè refert. Subtexta ſeminibus lanugo celeriter ignem rapit, ſericeæ mollitudinis. Externa fructus membrana, villis, & rariore veluti pube reſperſa videtur, quam El ſcerà, & Scerar Arabes nuncupant.

❧

Ad

BEID EL SSAR VERA EFFIGIES.



Ad Cap. XXVI.

De Achaovan abiat.

NOn Ægypti indigena; sed reliquis mediterranei maris littoribus cognita est hæc, cinereo tomento nobilis planta, totoq; in levissimos pappos abeunte florum auro, vanitatis humanæ lepidum, & verum simulacrum existit. Proxima quidem flore Senecioni; maior tamen, & in Aegypto fruticosâ potissimum altitudine conspectior. Ramulis brachiata pluribus, satisque firmis. Folia pariter ampliora, & profundioribus sinuata divisuris, vulgarem Artemisiam, quâ crassitudine, quâ viriditate superant, cinere quoque suo cum reliquis partibus exalbida. Quâ naribus placeat, non spirat halitus suavioris auram ullam.

Ad Cap. XXVII.

De Bammia.

BAmmia obsitos passim agros circa Memphim urbem spectare licet. Adeò frequens eius in cibis usus est Planta quaternis quinisq; cubitis erecta. Malvæ quidem cùm folia, tum flores æmulatur, ab utrisq; tamen aliquo discrimine seiuncta Nam folia non sylvestris malvæ parvitatem, aut mollitiem præ se ferunt; sed ad contactum aspera, nonnihilque villosa, tum longulè excurrente petiolo subnixa, Cucurbitini folii magnitudinem propemodum assequuntur Flos amplior est quàm sylvestris malvæ, quinque foliorum consessu productus, aureumq; pallorem umbilici purpura distinguit. Fructus Cucumeri sylvestri non absimilis, radiato insidet calyci. Alibi decagonus; hic per quina tantùm latera obtusiùs acuminatus est. Eum cum inclusis seminibus adhuc uiridem iusculis incoquere vulgus consuevit.

Ad

Ad Cap. XXVIII.

De Melochia.

TAnta Aegypto ciborum ex herbis abundantia eſt, ut frugibus, quarum fertiliſſima tellus, propè ſola carere poſſit. Inter vulgatiores herbas, & ſponte ſuâ naſcentes Corchorum quoque recenſet Plinius, non illum, cui Anagallidis nomen, ſed alterum, quem Alexandrinorum cibum, & præcordiis utilem refert. Hunc recentiores aliquot Botanographi Melochiam faciunt. Sed faciunt; non perficiunt. Antiquiores enim Corchorum Ocimo, vel convolutis foliis moro ſimilem tradunt; quorum non niſi languidè quicquam in Melochiam convenit. Præterea Corchoro ſaporis inſuavitas inſignis fuit, ut etiam Theophraſtus. τὸν κόρχορον διὰ πικρότητα παροιμιάζεσθαι, Corchorum ob amaritudinem in proverbium abire ſcripſerit. Quã notam ab hoc Aegyptiorum olere feriò teſtor abeſſe; quos ne braſſicam quidem ob amaritudinem comediſſe, ſatis ex Plinio notum eſt. Cæterùm planta hæc ad cubiti altitudinem increſcit, caule tenuibus rariſque flagellis obſita. Folia circa laterum exortus corniculato quodam additamento recurvata ſunt, quorum extrema in purpureum cincinniſque contortum filamentum attenuantur. Fructus verè Ceratoides, ſubluteis ſtriis lineiſque diſtinctus eſt. Ferculum ex decoctâ Melochia paratum omninò plebeum ſapit, viſcidum, guſtui fatuum, niſi â multo (ut ſolet) limonum ſucco condimentum accedat.

Ad Cap. XXIX.

De Zatar hendi.

ZAtarendi vel potiùs Zatar Hendi, Origanum Indicum apud Arabes denotat, non minùs odoram ob ſuavitatem, quâm virium præſtantiam cum Aegyptiis tum Syris plurimùm expetitum. Effigiem eius genuinam Alpinianæ huic ſubiungere libet, ex horto Illuſtriſſimi Nicola Contareni depromptam: quem virum ſi Reipublicæ Venetæ decus, ordinis ampliſſimi ſplendorem, generoſi ſtemmatis ornamentum, & exem

plar

plar priiscæ Virtutis dixerim, nihil incomparabili eiusdem humanitati, perexiguum memoriæ posteritatis, omnia veritati amorique largiturus sum. Adolescit hæc eximia planta magnitudine pedali, caulibus rectis satisque firmis: cuius folia Amaraci habitudine tenella, mollique veluti lanugine respersa tactui blandiuntur. Rotunda quidem illa sunt, in conum tamen leviter coarctata, & excurrentibus in longitudinem fibris cum virore pallidula. Flosculos producit quāplurimos, niveo candore lactescentes, qui per extrema caulium, inter numerosa foliorum capitula prominuli, onitidis Origani umbellam glomerato ambitu propemodum expandunt. Iam Satar hendi hoc, linguam gustantium aromaticâ nec iniucundâ acrimoniâ perstringens. Creticum Origanum odoris vehementiâ superat. In sonticis capitis affectibus, cum sensuum motusque voluntarii nobiles functiones improbâ mucedine vel imminuuntur, vel penitùs obruuntur, eximiè opitulatur. Stomachi vigorem excitat, solutisque tetro veneno vitæ præsidiis, gratum & efficax, auxilium affert.

ZATAR HENDI. Origanum Indicum.



Ad Cap. XXX.

De Felfel tavil.


Felfel hoc tavil, sive piper longum, â nonnullis Aegyptiorum Felfel rumi, id est, piper Romanum appellari, miratus utique priùs fui, quàm certior factus sum, eos non à natali plantæ solo nominis rationem ducere; sed quia commeantibus huc Græcis, temperamenti frigidioris hominibus, vel ut condimentum in cibis, vel ut medicamentum in morbis præcipuè placeat, quos illi Romanos adhuc nuncupant. Est autem in maritimis Africæ locis planta satis frequens, ad binos ternosve cubitos altitudine producta: cuius effigiem, ut in fictili obviam habui cùm ex Aegypto in Italiam contenderem, lubens exhibeo. Nascitur caulibus numerosis rotundis, iuncea sanè specie; non eâ tenuitate quâ pictor eam expressit, sed crassitie ferè digitali. Cùm nonnihil increvit, promissis è caulibus ramis sylvosior pariter atque elegantior evadit. Iis incisis liquor emanat albidus, urenti piperis aut flammulæ acrimoniâ gustantis linguam impensiùs vexans. Folia promit, cùm temperatior anni constitutio, tenella, rara, vix menstruam ætatem ferentia. Diceres cum Iliadis conditore,

ζεφυρίη πνείουσα, τὰ μὲν φύει, ἀλλὰ δὲ πέσσει,

Imò ea res effecit, ut planta hæc â peritissimo Imperato, cùm ob succi conditionem inter Tithymalos referatur, tum ob foliorum tenuem rarumque proventum *ἄφυλλος* nominetur: quamvis non desint qui eam Xabram aut Camarronum Rhasis arbitrentur. Iam florem fructusque præstolabar, cùm diutiùs in mari sævientis hyemis iniuriis victa planta succubuit. Flores aliàs in summis caulibus albicantes producit, exserto capitato tubulo insignes, quibus dilapsis, inclusa membranoso folliculo semina supersunt. Caules ipsos iam arefactos, cùm opiparè victurum, ferculis condiendis Maurorum vulgus adhibere consuevit.

Ad

FELFEL TAVIL. Piper longum Ægyptium.



Ad Cap. XXXI.

De Absus.

EXigua hæc, ſed elegans planta, non eodem floſculorum decore prodit: quas & niuei producit candoris, & dilutiore flavedine lacteſcentes. Nec circa ſummum tantùm caulem; ſed etiam inter foliorum exortum diſpoſitos. Semen atro colore ſplendidum parvis includit ſiliquis cicerum æmulis, & caulem ſuum raris brevibuſque ſpinulis innocenter obarmat.

Ad Cap. XXXII.

De Seſamo.

E Cerealibus quoque veterum celebre potiſſimùm Seſamum, & Aegyptiis tum in cibo, tum in medicamentis uſitatiſſimum eſt, quod cum reliquis frugibus, poſtquam arentes campos ſcatebris ſuis temperavit Nilus, celeri proventu ſurgens, ſiliquâ minimè fallaci cultorem ſuum locupletat. Folia caulem inferiùs circumdantia latiora ſunt, & profundioribus inciſuris ſerrata, ſuperiora verò Integris oris anguſtiùs patentia. Florem educat magnitudine eximium, cuius folia reflexis labellis intus albida, exteriùs violæ colorem induta, tenuíque reſperſa lanugine vigorem ætatulæ ſuæ produnt. Siliqua non quaternís tantùm, ſed quinis etiã ſeniſque lateribus anguloſa, ſtellatum occupans calycem, oblongum illud, pingue, flaveſcenſque ſemen incluſum cuſtodit. Cæterùm Seſamum, inquit Theophraſtus, veluti Eriſymum οὐδὲν ἅπτεσθαι δοκεῖ ζῶον, nullum videtur animal tangere, ob tetram ſaporis amaritudinem. Sed hæc de vireſcente ſcripſit Seſamo nobiliſſimus ſenex: non item eâ, quæ cœleſtis caloris operâ maturitatem ſuam adepta fuit. Oleum ſeminibus expulſum, κατ᾽ ἐξοχὴν Zeid taib, id eſt, oleum bonum Arabes nuncupant.

Ad

Ad Cap. XXXIII.

De Culcàs.

Colocasiâ, quam Colcàs nominant Arabes, ut nihil apud Agyptios notius, ita nihil inter Europæos βοτανοφιλοῦντας controversiarum veluti senticetò asperiùs obseptum. Horum alii plantam hanc veterum Aegyptiorum fabam esse contendunt, cuius radicem Dioscorides, Athenæus, Pliniusque, clarissimi scriptores, Colocasiam olim appellatam prodiderunt. Atque huic rei argumentum adstruunt, foliorum in Aegyptia faba amplitudinem, quam Petaso Dioscorides, Plinius Personatæ foliis æquiparavit. Radicum item crassitiem harundinaceis maiorem, quam antiquitùs, ut hodierni Colcas radicem, καὶ ὠμὴν, καὶ ἑφθὴν, καὶ ὀπτὴν, & crudam, & elixam, & assam, incolæ comederunt. Similes adeò facultatum temperamento, similes in paludosis Agypti locis proventu sunt. Alii Colcas hodiernum Ari speciem constituunt; non promiscuè quidem, sed illius, quod folia Theophrastus cava & cum latitudine Cucumeracea obtinere scripsit. Quod Plinius inter bulbi genera retulit, Scyllæ proximum, foliis lapathi amplitudine, cuius radicem ob mollitiem Naturæ vel crudam comedi testatus est. Et desint Hercules Colcas illi hodierno tot notæ, quas constanter veteres fabæ Aegyptiæ tribuerunt. Nimirum arundinea, aspera, & ut Theophrastus loquitur, ἐπακανθίζουσα, Spinis subhorrida radix. Flos quàm papaveris amplior, & roseo colore saturatus. Caulis quaternis in longitudinem cubitis productus, tum in huius apice triginta veluti loculamenta in orbem disposita vesparum orbiculari fauo non dissimilia, quæ prominentes leviter fabas complexa sunt. At deceptos in his omnibus notis veteres fuisse non facilè mihi imponant recentiores. Scio fæcem suam habere seculum illud priscum; sed & hoc nostrum obtinere suam spumam. Non vidi toto quod in Aegypto exegi quinquennio, vel florem, vel fructum, qui veterum Colocasiam referret: ecquid propterea negem ullibi gentium reperiri? Paucis in villis iuxta Memphin, Heracleam, Pelusium, Alexandriam, conspectæ sunt à Prospero Alpino, & à me, quas hic exhibemus ex Agypto plantas. Hodiernum quidem Agyptiorum Colcas, Arorum generi lubentiùs adscripserim, sive plurium radicum concretione μακρόῤῥιζον, & ampliatum; sive simplicius sit, & bulbacea rotunditate στρογγυλόῤῥιζον appareat: potissimum


mùm bulbaceum hoc, quod radice, folliculo, fructu Aro montano, foliorum item immaculato virore, Aro vulgari par eſt. Nec facultatum ulla hic contrarietas: languidior tantùm Ægyptio Colcas acrimonia, quam & montanum illud Arum coctione deponet univerſam: nec tamen hoc qualitatum leve deliquium ſpecierum diverſitatem parit.

Ad 33. *De Culcas florido.*

ÆGyptiis Colocaſiis hanc quoque ſubiungamus, quæ inopinato partu in Proſperi noſtri Alpini horto fœcunda, bulbaceo ventre prætumida, eximium cultorem ſobole rarâ, ſed caducâ pluſculum exhilaravit. Mirabantur illi Floræ candidati è ſterili nympha progerminantem caulem, aſparagi habitudine, teretem & in rectum emicantem, læto virore foliis circumpoſitis ſupparem. Apice in folliculum dilatabatur, â laxiore fundo ſenſim adſtrictum, qui bidui ſpatio in longum dehiſcens, inexpectatum curioſis oculis fructum expoſuit, non tam vulgaris Ari piſtillum, penicillumve, quàm Ari Aegyptii minoris thyrſum, aut Ariſari progeniē caudato imitamento exprimentem. Longitudine digitum minorem vixdum excedebat, craſſitudine macropiperis modum acquirebat, candido pigmento decorus, & femineis undique veluti rudimentis obſitus fuit. Cæterùm ut repentinus fuit exortus, ſic abortus. Iam enim triduum inter ſpectantium plauſus exegerat, quando lethali correptus marcore cum indumento ſuo periit, nihil cultori præter acre ſui deſiderium delicturus. Viſus & Neapoli, & Piſis hoſpes hic rariſſimus: ſed oſtendit ſe tantum terris, nec ultro eſſe potis. Cauſas cur in Aegypto nec florem nec fructum det, hæc velut iratâ Lucinâ producta planta, diligenter in Exoticis diſputat Proſper Alpinus; quem operæ eſt adire ipſum, ne aliena ſcrinia compilaſſe videar.

CO-


COLOCASSIA ÆGYPTIA Florida.



Ad Cap. De Culcas.

ARum hoc Aegyptium exiguum, & temperamenti harmonia, & partium omnium conformatione precedenti Colocaſiæ cognatum, quidni huc inſeramus? quod in hortulo integerrimi viri Coſmi Nerii Venetorum Pharmacopæi cultum, ſæpiùs in urbe Cairo inſpexi. Radice fundatur bulbaceâ, nucis Ponticæ mediocris amplitudine, quæ fibris tenuibus, copioſis, in terram nutricem demiſſis, prompto germine ad vota coloni ſui properat. Caulem erigit altitudine ferè dodrantalem, albidum, crebris veluti lentiginibus maculoſum. Eum folia complectuntur bina numero, vix ab Ari habitu quicquam mutantia; non lacteis Ariſari venis inſignita, nec lituris nigricantibus ſugillata; ſed ſimplici cum nervulis viriditate decora. Caulis tandem paulò erectior in vaginam panditur membraneam, Ari involucro ſimilem, quæ paribus in longitudinem intervallis albis luteiſque radiis elaborata conſpicitur. Hac recluſâ fructus apparet, penicillo canino haud abſimilis, infernè ventricoſus, ſenſim tamen versùs apicem gracilior. Albo perfuſus eſt colore, ſed quem circumſparſa thyrſo feminea veluti inchoamenta non parum luteo ſuo obliterant. Qui fortè radices afferebat hortulanus, eas non minùs quàm Colocaſiarum edules, & acriùs etiam pervigilium Veneri ſuæ debentium opus promovere adſeverabat.

ARVM ÆGYPTIVM minus.



F *Ad*

Ad Cap. XXXIV.

De Nufar.

INter Iridis Osiridisque complexus natum speciosum illud Nuphar Aegyptia Nymphæa, celebris vetustissimorum auctorum scriptis, Nilotica Lotus est. Eius hic effigiem, quæ compendioso ambitu radicem, folia, florem, fructumque repræsentet, haud immeritò exhibendam arbitratus sum. Prosper Alpinus eandem facit cùm Europæorum Nymphæa. Differt tamen cùm à lutea maiore, quæ radices in longum porrigit, tam ab alba illa vulgatiùs cognitâ, foliorum paulò cõtractiore magnitudine, & quod oras habeat levibus illis quidem, sed satis incisuris excavatas. Nervulis item copiosioribus pertexta: tum semina capiti papaveraceo inclusa, quàm vulgaris Nymphæa magnitudine conspectiora possideat. Quæ res facilè priscos excuset Botanographos, qui Niliacam hanc à reliquis Nymphæis seiunxerunt. Qui florem, folia, radicem (pro nativâ magnitudine exsurgunt) curioso dignatur aspectu, Prosperi Alpini exoticis manum & oculos admoveat. Olim Aegyptiaci huius Lotiflos, ut auctor est Heliodorus, triumphantium coronis intexebatur. Hodiè expressus floribus & capite contusis succus Sacharo miscetur, quod Arabes Sarbet Nuphar appellant, insigni tum refrigerandi tum humectandi vi præstans. Sarbet autem à Serab vel serob deductum, communi nominis significatu quodcunque poculentum denotat: ab his quoque Serapii & sirupi vox, in usum salutaris scientiæ profecta. Paratur Sarbet sacharo in aqua dissoluto, quod evaporante supra ignem liquore, cùm ad eam spissitudinem rediit, ut concrescere denuo frigefactum queat, remoto iam ab igne sub concretionis initium sensim Nymphææ probè depuratus admiscetur succus: ea tamen moderatione adhibitâ, ut largiore humiditatis accessione coalitum non impediat. Eundem in modum ex limonum, citreorum, rosarum, & violarum succo cum saccharo Sarbet suum concinnant, cui lautioris fortunæ homines, sub hyemem, aromata suaviora, ambramque permiscent.

NYM-

NYMPHÆA, SEV NVFAR Ægyptium.



Ad Cap. XXXV.

De Stratiote.


IAm sexennium est, cùm ex Aegypto in Palęstinam iter haberem adversantibus navigationi ventis in Pelusiaco portu subsistens. Admiratus ex animo cultum amœnitatemque loci, omnia Nili sui beneficio possidentis, quibus provocet, ut cum Marone loquar,

------ amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

conspexi in stagnantibus circa proximas villas aquis plantam hanc cuius Iconem Alpiniano Haij alem el maovi, id est, sempervivo aquatico subiicio. Eam quoque veterum Botanicorum Niliacam Stratiotem esse, abundè notis omnibus confirmamur: quamvis foliorum lineamenta diversam præ se ferant figuram. Hæc Aizoo quidem, sed maiori illi, & arborescenti similia diceres, ni maiora multò forent, pariterque latiora. Surrecta pleraque videntur, roseoque consessu stipata, & citra malæ ætatis dispendium plicis in longitudinem rugisque non ineleganter crispata. Circa exortum, ut solet, angustiora folia, paulatim deinceps dilatantur. Extremorum altero non in acumen exeuntia; sed reflexis leviter oris plusculum diducta sunt: cætera dilutiùs virescentia, verbasci instar utrinque molliter hirsuta; quod in Icone pictor haud expressit. Flores cùm Pelusium transirem (præceps enim iam mensis Iulius erat) non observavi. Planta tota sessili basi Nilo incubat, & ut loquitur Anazarbeus, ἐπινήχεται τοῖς ὕδασι χωρὶς ῥίζης, innatat aquis citra radicem: quamvis radicum vicem demissa terram versus tenuissima fibrarum veluti filamenta sustineant. At nomen ipsum Stratiotis, potiùs ab eximia sanandorum vulnerum efficacia, quàm nascendi conditione sortita fuit.

STRA-

STRATIOTES ÆGYPTIA DIOSCORIDIS.



Ad

Ad Cap. XXXVI.

De Papyro.

IMò hæc nobilis illa biblus, quæ vitæ humanitatem, ingenii præclara facinora, famososque mortalium labores, victuris chartis memoriæ quondam posteritatis reservabat: quæ ante repertas fruges Aegyptiis alimentum, stragulas, navium contextum; vasorum utensilia, florem ad coronandos Deos, & calceos horum sacerdotibus præbebat. Hodiè ob strenuam incolarum inertiam, aliunde advectis chartis, Aegypto natales tantùm suos, non æstimationem debet. Assurgit ab arundineis fibrosisque radicibus circa Nili stagnantis ripas, caule numeroso, triquetro, nòn raro septem cubitorum mensuram speciosâ proceritate cùm æquante, tum superante. Folia circa utrumque scapi extremum, inferiùs ampliora, Sparganii, Cyperive instar repanda; supernè minora, quæ radiatum veluti calycem innascenti jubæ subjiciunt. Plinius caulem in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includere scripsit. Theophrastus ipsi κόμην tribuit ἀχρεῖαν καὶ ἀσθενῆ, comam inutilem, debilemque, si reliquis cum partibus in comparationem descendat. Vtrumque tamen obtinet. Nam & denso tot staminum ordine stipatum caulis fastigium cæsariem exprimit, & circa summum hujus prominuli florei apices, quas pictor non adumbravit, obligatum circumplicatâ hederâ thyrsum effingunt. Radix velut in usum ligni olim cedebat, sic tomentosa caulium medulla, in niveum reducta gluten, philyrisque porrò tenuissimis compacta, chartam virginem scriptoribus exhibebat.

Ad Cap. XXXVII.

De Cypero.

CYperi plures species, & antiquis cognitæ fuerunt, & recentiorum industriâ porrò indagatæ sunt. Hinc præter radicum longitudinem & rotunditatem, foliorum latitudinem vel angustiam, saporis quoque tum amaritudo, tum dulcedo, odoris fragrantia, vel absentia,

radi-

radicum item in cibis aptitudo vel ineptitudo, discrimen aliquod invexit. Sed rotundior ille, ampliorque de quo hîc Prosper Alpinus, potissimùm κυπέρου nomen universo generi tribuit: quem, si tam saporis acumen, quàm odori halitus suavitas commendet, non dubitant Antidotis miscere valetudinis humanæ providi tutores. Dioscorides optimam Cyperi radicem innuit, quæ è Cilicia, Syria, Cycladibusque petebatur. Plinius non sine manifestâ intellectus confusione Cypirum à Cypero distinguens, Aegyptium hunc, inter laudatos Cyperos infimæ classis esse scripsit: quod ipsum tamen eximiæ eiusdem vires, & in obviis sensui qualitatibus præstantia facilè convellunt. Vidi his quoque locis cũ Abdelavi fœminibus sæpiùs venum circum ferri Cyperi minoris edules, & avellanæ magnitudine dulces radices, quas Arabes Hab el selim nominant. Plantam ipsam Aegyptiam Theophrasti Malinathallam, seu Anthalium Plinii arbitrantur, quamvis in amœno Veronensium agro sedem pariter natalem invenerit.

Ad Cap. XXXVIII.

De Chatè.

Vulgatius Abdelavi genus, & in cibis magis consuetum, non rarò insigni magnitudine adauctum in villis Aegyptiis deprehendi. Quâ parte ramo suo fructus adhæret, anguino flexu prius incurvatur, sensim deinde ventre gravido intumescens, versùs alterum extremorum denuò gracilescit. Sulcis tenuibùs in longitudinem interdum exaratus est, cortice molli, tenui, maturoque jam fructu rufescente; non eá saporis gratiá, ut lautiorum aliquis mensa ipsum dignetur. Liquor Batechæ el maovi sensim â maturitate colliquata intus medulla colligitur, quem perforato cortice effusum, percolatum, sacchareque mixtum, æstuantes avidè hauriunt, non sine ventriculi, & jecoris evidenti noxa, si quis eum immodestiùs ingerat, ob refrigerandi, quá pollet, vehementiam. Prosper Alpinus Herniam, id est, Hydrocelen sive aquosum scroti testiumque tumorem producere, non sine ratione scripsit. Frequentissimum aliàs hoc morbi genus Aegyptiæ plebi, ob Nili turbidioris vstatum potum, cujus aquæ copioso permixtæ nitro, quá penetrando, quá laxando, valetudinis hoc incommodum accersent. Sed & promptum eidem remedium est, adacto per membranas scroti & testium phlebotomo aquas

quas conceptas compressis hisce partibus elidere, post temporis aliquot intervallum redituras: atque hæc passim in balneis publicis aguntur. Meliorem affectus curam per medicamenta instituunt Arabes, præmissâ tamen adustione per cylindrum lineum, circa cervicem & principium scroti administratâ. Sed hæc alibi explicatiùs persequemur.

Ad Cap. XXXIX.

De Cucumere Aegyptio reticulato, seu Luffa Arabum.

ESculento cucumeri, quem Chatè nomine descripsit Prosper Alpinus, alterum addo, cibis quidem inutilem, partium tamen omnium elegantiâ spectatissimum. Arabs, in cuius horto propè Cairum urbem crescebat, Luffam appellabat; mihi mirabilem ob plexum, quo semina inclusa circumdat, Cucumis Aegyptius reticulatus nuncupandus videbatur. Semina ad inclytum heroem Nicolaum Contarenum à me transmissa, in eius non rusticæ, sed plus quàm urbanæ Floræ amœnissimo pandocheo, plantam dederunt, quam hic expressam contueare. Foliis induitur hispidis, fuscam viriditatem pallore hinc inde *diluentibus*: diuisuris inæqualibus profundiùs laciniata, *Bryoniæ*, vel Balsaminæ potiùs folia mascula æmulantur. Florem educat amplum, specie venustum, languidam flavedinem, striatim inducto aureo pigmento largiùs circum oras saturantem. Idem stamina capaci sinu plurima submittit, quibus appendices grandiusculos flaventesque connectit. Cæterùm instructa numerosis capreolis planta, quaquaversum reptabunda, proxima quæque cincinnis suis implicat: fructum promit semipedalem, ab angusto collo paulatim laxiùs tumente ventre gravidatum, superficie modò lævior, modò tuberculis passim verrucosior. Cortice velatur tenui, ex obscuro virore pro maturitatis gradu plus minusve flauescente Eum vel nulli, vel tenues saltem excavant sulci: in longitudinem tamen atris lineis eleganter inscriptus, â colli principio ad vmbilicum veluti centrum suum commeantibus. Cùm fructus benè maturus, cortice remoto, innumera in conspectum veniunt albicantia filamenta, succosiore medullâ stipata: miro adeò ordine contexta omnia, ut planè fateri necessum sit, non esse hoc rude, & tumultuarium opus; sed quod egregius artifex co-

gita-

gitaverit prius, quàm fecit. Idque evidentissimum evadit, cùm quis tabefactâ jam pulpâ simplicem plexum inspicit. Sinum plexus hic triplicem efformat in longitudinem, in quo semina copiosa, candida, cortice nonnihil inæqualia, lactescente verò medullâ *Melonum* æmula junctim asservantur. *Usus* huius fructus barbaro possessori satis exploratus non erat. In balneis tamen publicis, dempto cum semine cortice, plexum filamentorum succo suo madidum tergendis corporibus adhiberi confirmabat; quorum cutem Morphæa fœdæque vitiligines insederunt, malum Aegyptio vulgo familiare. Reticulum ipsum qui diligentiùs tractaverit, lini macerati nerveis veluti fibris præditum agnoscet.

An igitur, quemadmodum Aethiopes, & *Indi*, authore Theophrasto, è laniferis arborum pomis, aut Arabes (ut subjungit Plinius) cucurbitis in arboribus genitis, lina parabant; ita ex hac plexu decenter a refacto malleo stupario contuso corticatoque simile fieri potuerit haud negaverim.

LVFFA ARABVM, seu Cucumis reticulatus Aegyptius.



LVFFÆ ARABICÆ, Flos & Fructus.



Ad Cap. XL.

De Neiem el Salib.

GRamini crucis, stellatum hoc Aegyptium adjungo, non minùs elegantiâ, quàm viribus, generisque societate eidem cognatum; quod circa Heracleam oppidum sive Rossetum primùm conspexi. Assurgit altitudine pedali, culmo rotundo, geniculorum aliquot internodiis distincto, circa quæ angusta satis, & in acumen attenuata folia producit. Fulcitur radice firmâ, candicante, & ipsâ geniculis aliquot, quæ pictor haud delineavit, nodosa; subdulci quadam acrimoniâ gustum perstringit. Calami in quinas senasque paniculas dirimuntur, longitudine dispares, Ischæmo gramine breviores quidem, sed longè densiores. Aversâ facie in longum excurrente validâ carinâ, & porrectis à latere statuminibus muniuntur, quibus squamatim compactilis spicea florum congeries, virore flavescente renidens superiùs instrata est. Congenera itaque hæc gramina sunt. Nec mirum ullum, in stellas aliquid abire posse, quum crucem tulit. Vsum item medicum eundem obtinent: quamvis calculis intra vesicam duratis frangendis vires pares non possideant. Qui lapidosum aliâs vesicæ synagma citra sectionem eduxerit, ut alibi Prosper *Alpinus* scripsit, in magna Aegyptiorum Mēphi, quamvis curiosè inquisiverim, neminem deprehendi. Hominem tamen religiosum â monte Sinai, calculos extra vesicam in urethrâ subsistentes, compressâ supposito digito vesicâ, & meatu urinario per immissum anserinę pennæ tubulum validè inflato, eosdem extrorsum propulisse, ab ægris ipsis acceptum satis & cognitum habeo.

GRAMEN STELLATVM ÆGYPTIVM.



De Scorsonera Orientalis.

Electioribus Orientalium plantis hanc etiam accenseas licet raram nobilemque Scorsoneram, in Palæstina ac finitimis Aegypti nascentem: cuius semina ad Illustrissimum Nicolaum Contarenum â me curata, sub tam splendido cultore dicam, an floreæ voluptatis promo, alteroque huius seculi Alcinoo felici partu germen exoptatum excluserunt. Radice sustinetur, ut reliquæ Scorsoneræ solent, longa, simplici, quæ pollicis crassitudine vix diductior, crebris rugis sulcatum corticem atrore quodam obfuscat. Candida tamen intus est, quumque recens, lacteâ ubertim alimoniâ diffluit. Exsurgit â radice caulis singularis cubitum altus, gracili quidem habitudine, sed firmâ, quem circumstant rara, oblonga, gratum virorem cæruleo cœlesti permiscentia. Horum inferiora latiora sunt & ampliora, circum oras leviter sinuosa, tum quinis in longitudinem exeuntibus nervis distincta, superiora magnitudine & æquatis sensim oris contractiora cernuntur. Cauli flos insidet pulcherrimus, suaviter odorus, scutati nummi ambitu dilatatus saltem hyemem asperiorem expertus non fuerit. In eo duplex foliorum series in stellam radiosve digestorum, quæ candorem suum purpuræ miscent. Circa umbilicum saturatior purpuræ splendor est, è quo per longitudinem foliorum ad extrema leviter serrata, coloris eiusdem crebræ lineolæ ducuntur. Erigitur ex umbilico floris tutulus purpurâ suâ decorus, â basi versus cacumen frequentibus plicis adstrictus. Hunc circumsistunt ex intervallis duodena, vel etiam plura uallorum statumina, ex cæruleo nigricantia, quorum extremum aureis capreolis utrinque retortis exornatur. Flori calix subiicitur oblongus squamatimque compactus, quo semina pariter oblonga molli potiùs copiosâque lanâ, quam pappo involuta reconduntur. Cęterùm, plantam ipsam Europeis Scorsoneris alexipharmacâ virtute minimè secundam esse, crebris gravissimorum hominum experimentis abundè patefactum est.

SCOR-

SCORSONERA ORIENTALIS.



De Datura Ægyptia.

SOlani varias species passim in Aegypto observare datur: nimirum Somniferum illud vulgatius, quod à baccarum forma nonnullis στρύχνον μελανοκέρασον dicitur: tum alterum Fruticosum, quod Stychnodendrum, & Amomum Plinio nominant: tertium item pomiferum, diligentiùs in hortis excultum, cuius fructus oblongus, durus, ob suavitatem inter cibos Aegyptiis receptissimus: quartum denique, de quo paucis hoc Capite Prosper Alpinus, cuius fructum ex communi sententia, Nucem Methel, plantam ipsam verum Dioscoridis Stramonium, pronunciat. Viri Clarissimi, ad seminis vim deliram pariter ac stupefactoriam respicientes, Solanum maniacum Theophrasti,& Hippomanem Cratevæ nuncupant, ab Aegyptio vulgo Datura vel Tatura appellatur. Ramum eius, quem in Exoticis iamdudum expressit Prosper Alpinus hîc quoque subiiciemus: Eum ab Illustrissimo Nicolao Contareno acceptum, tanti fecit vir humanissimus, ut plantam hanc tam eximii Mecœnatis nomine Daturam Contarenam vocaverit; probè sibi conscius, eam decentiùs, quàm olim titulis Regum flores, hoc nobilissimo nomine inscribi,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series,

ut lyrici verba seriò usurpem. Fundatur itaq; Datura longâ crassaq; radice, quæ subrubro perfusa calore, odorantium capitibus gravedinosum Meconii halitum inspirat. Surgit ab ea caulis singularis; sed amplus, ramisq; plurimis porrò diremptus. Vidi quaternis, quinisq; ferè cubitis adultum, totum rotundo schemate, violæ obscurioris ornatu splendidè coloratum: Folia longis pediolis insistentia, virorem suum nigredinis aliquâ misturâ obscurant: quorum inferiora producta ampliùs, magisque dilatata, variis utrinq; diuisuris inæqualiter exasperantur. Florem producit, non vulgaris elegantiæ specimen, unicum odoræ suavitatis in tota plantâ compendiū Hunc dentato calyce enixum, ab angustiore cervice, medioque turgidulo ventre, tubuli instar sensim diducit. Foliis constat modò simplici, duplici modò, imò & triplici: quamvis hoc alterius additamentum videatur. Externâ facie purpuræ decorem induunt, internâ lacteo candore largiùs perfusi flores: omnium hoc proprium est, ut resupinatis labris in lacinias aliquot dirimantur, quæ retortis sensim oris collectæ, velut in caudas attenuantur. Fructum edit plus minusve rotundum, spinoso horren-

tem

tem cortice, nonnumquam innoxiâ ſcabritie æquabiliorem, qui ſemina copioſa, flaua primùm, tandemque palleſcentia complectitur, quorum tantùm rudimenta dempto cortice pictor in icone repræſentavit.


DATVRA ÆGYPTIA.



De Hyoſcyamo albo.

HYoſcyamus albus Aegyptius, quem vulgari diſſimilem planè figurâ tradidit Proſper Alpinus, ipſus idem eſt, cuius hîc effigiem ex eiuſdem Exoticis depromptam exhibemus. Naſcitur cum Hyoſcyamo luteo iuxta Pyramides Aegyptias, non minores illas, (quarum plures viſuntur) ſed maiores tres circa Memphin urbem conſpicuas, immenſi laboris opera, & quæ non vanè Plinius regiæ pecuniæ vanam & inutilem oſtentationem iudicavit. Exoritur à radice plerumque ſimplici, per fibras tamen craſſiores variè diditam, caule ſæpius unico, nonnunquam geminis ſurrectis, gracilibus quidem, ſed firmis. Hi pluribus deinde ramulorum brachiis multiplicantur, quibus mollis inſperſa lanugo canitiem ante ſenium addit. Per caules hinc inde ſparſa ſunt folia oblonga, ex mediocri latitudine in acumen deſinentia, vulgaris Hyoſcyami foliis longè minora. His pariter ex denſata veluti lanugine albicans tomentum, à pictore vix exprimendum, inſtratum eſt, oræque crebris inciſuris, dentium æmulis, propè medium imumque caulis, ſerratæ videntur Flores circa ſummos caules, è caliculis ſuis emergunt, paulatimque ab anguſta cervice latiores, quina labella blandum in riſum diducunt. Exterius ſimplici candore nitens, interiùs admixtâ rubro flavedinis portione variegati. Dilapſis floribus, calycis hæredes ſemina ſuperſunt, alba, & puſilla; ſed quæ humorum, ac potiſſimùm ſanguinis impetum per venas uteri, ventriculi, pulmonum, efficaciter coercent: dolorem item meningum, pleuræ membranæ, tum coli inteſtini graviſſima tormenta, mitigant.

HYOSCIAMVS ALBVS ÆGYPTIVS.



De Myrobalano Chebulo.

MYrobalanos si non invenere primùm, saltem vetustioribus Græcis incognitos, primùm Europæis patefecerunt Arabes, sive eos ipsi possiderent, sive aliunde facto cum exteris commercio reciperent, atque in usum artis Medicæ transferrent. Qui Aegyptum hodiè incolunt Arabes, cum aliis mercibus per sinum Persicum & Erythræum advectos, ab Indis Orientalibus nancìscuntur. Errant qui tot myrobalanorum genera unius arboris fructus arbitrantur. Quamvis enim tam arbores, quàm myrobalani ipsi habeant, quo prunis conferri possint; ingens tamen in foliis discrimen, cum alia lauro, persico alia, alia salici, sorboque comparentur. Sed maior è myrobalanis Chebulorum æstimatio, quos è Bisnagar, Camboia, Bengala navitæ frequentiùs advehunt. Horum arborem in Cayro urbe non procul à vico Veneto, in Beii cuiusdam Turci viridario sæpiùs inspexi, quem horti præfectus Dileg el chabul nominabat. Rami ab eo decerpti effigiem, accuratè satis delineatam, hîc contempleris. Adolescit autem arbor speciosa magnitudine, pruno vulgari longè conspectior, cortice lævi & pallidulo, materia verò caudicis albicante, nec insuaviter odoratâ. Ramos exinde porrigit densos, longitudine proceros, ad flexum ut obsequentes, sic contra vim externorum contumaces; in latera potiùs sparsos, quàm in directum exeuntes. Spinis armantur longis, peracutis, firmis, perennantibus, quorum horridum agmen adsita propiùs folia plurimùm obumbrant. Horum verò bina communi petiolo insidentia coniunguntur, à pressula rotunditate obtusiùs acuminata, nihil Persicæ foliis, (quæ vulgò chebulis tribuuntur) figuræ cognatione devincta. Crassitudo illorum mediocris est, è quibus quæ situ inferiora, superioribus eiusdem rami maiora sunt, intactis oris, secus quàm in Prunis & Armeniacis obtinet, nullas incisuras admittentia. Fructus Chebulis Indicis simillimus existit, eximiâ magnitudine, à tenui cervice angulosum in ventrem diductus, & ex atrore quodam rubeus. Medium eius nucleus obtinet oblongus, striis & canaliculis elaboratus, cuius succulenta circumfusa caro, non iniucundo sapore palatum afficit. Cæterùm saccharo conditos hosce myrobalanos Byzantium mittebat possessor, quorum vires caput, & ventriculum, quâ purgandi, quâ corroborandi, non immeritis laudibus extollebat.

MY-

MYROBALANVS CHEBVLVS AEGYPTI.



De Cassab el darrir.

Huc referre libet plantam Cassab el darrir dictam, quam Lib. 2. Cap. 7. Exoticorum, sic describit P. Alpinus. *Nascitur hec planta, ut relatione accepimus, in Aegypti locis humidis; etsi nos eo tempore, quo in ea provincia morati sumus, plane latuerit: non minus etiam in Iudaea iuxta lacum Genesareticum vocatum, & in Syria multis locis. Semicubitalis, & amplior frutex est, ferens ab radice caulem longum geniculatum ferè ex toto rotundum, cavum intus habentem medullam albam, ut Sambucus colore fulvescentem, ex eoque ex opposito ramuli exeunt recti, geniculati, è quibus geniculis in cauliculo utrinque duo ramuli exeunt subtiles flores ferentes, magnitudine, & figurâ florum in lutea Lysimachia, à quibus succedunt parvi folliculi, oblongi, in acutum desinentes, nigri, semen nigrum, & minutum continentes; folia verò bina in singulis caulium geniculis, utrinque ex opposito posita cernuntur, oblonga, lata, inferius in acutum desinentia, sine petiolis adhaerentia, cernuntur Lysimachiae foliis similia, sed minora tamen. Radix est crassa, longa in acutum terminans. Hac planta videtur similis ex toto luteae Lysimachiae. Caules istius plantae crassiores non superant crassitiem digiti minoris intusque cavitatem plenam habent medullâ, ut in Sambuco, quibus caulibus siccescentibus medulla ipsorum plurimum siccata, ut calami cavi evadunt fulvescunt colore, sunt geniculati, facile franguntur, intusque habent medullarem substantiam albam, quae in ore agitata lentescit, inodori sunt, vel exigui admodum, neque ingrati, praesertim radix: lignum cum aliquanta acrimonia est amarum. Quibus notis ex toto caules ji crassiores cùm conveniant cum Calamo aromatico à Dioscoride descripto, haud injuriâ omnes Aegyptii, & Arabes jis caulibus, calamis ferè ex toto similibus pro calamo aromatico usi sunt, ac vel etiam nunc utuntur. Hosque calamos appellant Cassà el darrir: ubique locorum medicis officinis venales reperiuntur.*

In Italia, Germania, Gallia, & in aliis provinciis non pauci Medicorum, & Pharmacopaeorum, mordicùs tenent hos caules esse legitimum calamum, ad medicinae usum recipiendum. De quo cum accuratè scripserimus in Quinto libro de Medicina Aegyptiorum ultimò edito, nihil hic aliud hic dicemus.

CAS-

CASSAB EL DARRIR.



De Ab el mosch, seu Mosch Arabum.

PLanta seminis odorati fragrantiâ Moschum provocans, inter Aegyptios hodiè satis nota, Ab el mosch, & simpliciter Mosch, non Bel mosch, semen autem aspiratione adaucta Hab el mosch, granum moschi ab Arabibus nuncupatur. Surgit à radice multiplici copiosis quaquaversum venulis diffusâ, caule singulari, amplo, surrecto, cubitalem mensuram altitudine consueta facilè superans, qui iuxta cum ramulis suis rotundus, ab ipsa protinùs infantia, albicantibus veluti pilis hispidus canescit. Folia impari magnitudine, ad contactum asperae, Bammiae foliis non tantum maiora; sed profundioribus etiam laciniis circum oras & frequentibus sinuosa. His flores succedunt aureâ flavedine decori, quinis in stellam divisis foliis radiantes, productis sinu staminibus appendices aureos adiungunt. Floribus tandem fato rerum cedentibus seminum custodes capsulae sese proferunt, rotundum ambitum inductâ nigredine obfuscantes: in quibus illa tenuem suavissimumque spiritum prodigè exhalantia spermata conservantur: pusilla quidem, sed compacta, quaeque in sinum utrinque recurvata, levi amaritudine gustantium linguam imbuunt. Quis usus esset gratissimi seminis, haud satis compertum erat barbaris hominibus, qui id saepiùs, & copiosè mihi deferebant. Hoc interim abundè constabat, seminis leviter exsiccati pulverem Caovae misceri, ut roborandi capitis, ventriculi, cordisque maiorem acquireret efficaciam. Sarbetis etiam intemperari salubri effectu, ab iis, quibus sumptuum tenuitas ambrae moschive usum denegavit. Alii muliebribus impliciti curis, semina contusa vestibus intra bombacem infarciunt, ut suavi illo, si quis

Putor inhaerescit membris, reprimatur odore.


BAMMIA MVSCHATA.



De Brassica spinosa Aegyptia.

Eximiam, aculeisq; suis armatam plantam à P. Alpino Lib. 2. Exotic. Cap. 10. Brassicæ spinosæ nomine descriptam, non immeritò hîc inserimus. De qua hæc tradit. *Aliàs cùm in Aegypto essem credidi Brassicam spinosam usq; ex Aethiopia delatam fuisse, sed cùm à quodam stirpium studioso audiverim sponte natam, & in Aegypto, & Iudæa, & in Syria conspectam fuisse, in eam veni sententiam; istam plantã Aegypti, & conterminarum provinciarum esse propriam. Hanc dum viridis est, decoctam ex aqua Indigenæ comedunt. Mihi etiam postea quam ex Aegypto patriæ restitutus Venetiis ad medicinam faciendam commorabar, ex seminibus ab Aegypto procuratis, hæc planta, & nata, & feliciter aucta est, atq; eò usque etiam, ut flores produxerit, fructus verò perficere non potuit. Hæc planta crescit cubitali altitudine, et ampliori etiam, multis ramis ab una radice fruticans, longis, rotundis, mollibus, brassicæ colore crassis, & firmis, à quibus innumeri alii cauliculi exeunt in alios ramulos, plures angulos ferè facientes, divisi: in cauliculorum summitatibus fiunt plures tenues albæ spinæ, acutæ, juxta quas flosculi fiunt hyacinthi floribus similes in rubrum albicantes, quorum unus solum in ramo singulo visitur, à quibus fiunt fructus rotundi parvi, ciceris fructuum magnitudine, in acutum desinentes, qui dum recentes sunt gustui non videntur injucundi sed siccati lignosam duritiem, et duram contrahunt; intus colore albicant, & exterius flavescunt. Hæc planta est foliacea, ut brassica, multa folia ferens ab radice, & à caulibus, longa, crassa, brassicæ foliis similia, quæ dum viridia sunt videntur similis ferè saporis, et gustus esse. Folia, ut dictum est, dum virescunt decocta ex aqua, aut jure gallinaceo ferculi modo comedunt, atq; etiam non minus cruda itidem folia cum sale. Mihi ignotum est, an apud ipsos alios usus habuerit.*

BRASSICA SPINOSA GYPTIA.



De Lupino Aegyptio Sylvestri.

HEracleam five Roſſetum Aegypti tranſiturus, circa ſepimenta villarum non uno loco natam hanc, cuius adumbratum ramum vides, plantam obſervavi. Eam non dubitavi Lupinum Aegyptium ſylveſtre appellare, cùm ſatiuo illi, quod flore è cæruleo purpuraſcente præditum, reliquâ habitudine fructuque cognatum deprehendiſſem. Alii rectè Lupinum Arabicum nominarunt Nec ambiguum ullum eſt, in finitimis etiam Aegypto provinciis gigni, & Arabes per hoc ſeculum, mutati rerum memoriâ Aegypti incolas eſſe. Proſper Alpinus in Exoticis Quinquefolium ſiliquoſum appellat, ſemine ad Illuſtriſſimo Nicolao Contareno accepto, cuius munificentiâ, quemadmodum Alpini noſtri ſcripta in famam & ſeculum abierunt, ita felices Ponæ labores, & Clariſſimi Bauhini monumenta lætiùs vernant, quàm prata ipſa, ut cum Lucretio dicam,

quando ſpecies patefacta eſt verna diei
Et reſerata viget . genitabilis aura Favoni.

Iam erigitur Lupinus hìc a tenui, rectâ, parumque fibroſa radice, caule ſingulari, quique pedali altitudine ſurſum emicans, infernè luteus, ſuperiùs gratiore viriditate rotundam mollemque ſuperficiem colorat. Folia producit, cùm magnitudine, tum ſpecie diverſa: quorum quæ minora ſunt, trifolii faciem exprimunt, tenuibus petiolis ſubnixa: quò verò propiùs cacumen accedunt eò denſiora naſcuntur, & caulem undique proximo conſeſſu cingunt. Ampliora folia caulis inferiora potiſſimùm & media occupant, longiùs ab eodem recedentia. Pentaphyllum vulgatius æmulâ figurâ præ ſe ferunt, quinis laciniis altè diviſa, quamvis integræ oræ nullis inciſuris dentatæ conſpiciantur. Iuxta ſuperiora & in apice caulis, inter foliola faciè triphylli prædita, ramuli exeunt, non ſedecim tantùm, ſed plures numero, interdum etiam pauciores, longitudine pariter inæquales. Eorum ſinguli florem exhibent, tenui viridique calyce fultum, non uno, ſed quatuor foliorum concurſu productum. Aſſurgunt gracili, ſed in longum porrectâ cervice inter ſe diſiuncta folia: paulatim deinde ampliata, duobus veluti ſegmentis, currente per medium obſoleti coloris lineola compinguntur Circa cervicem exortumque ſenſim violaceo colore imbuuntur, reliquo tamen corpore ſuaviter olida, lacteo nitore candent. A producto flore virgula protenditur, quæ rurſum flabelli inſtar quinis ſeniſque ſtaminibus, ſpadiceo colore tinctis dividitur, quibus aurei tandem appendices annectuntur. Inter ſtamina ſingulari pedamento ſiliqua dependet, teres, exilis, utrinque in acumen attenuata, quâ ſemina perexigua, rotunda, nigricantia Lupino ſatiuo qualitatum diſpoſitione cognata, ſeruantur. LV-

LVPINVS ÆGYPTIVS SILVESTRIS.



De

De Sinapi marino Ægyptio.

NOn vegetabilibus, sed numinibus olim Aegypti annumeratum Sinapi marinum Lib. 2. Exotic. Cap. 19. hunc modum P. Alpinus expressit. *Plantam nobis ex seminibus ex Aegypto delatis natam in horto habuimus, quæ ex una radice longa, gracili, lignosa, alba, caule unico, vel duplici, assurgit, rotundo, rubescente, pingui, macropiperis crassitie obliquè sursum, & non rectè in aëre acto; qui hinc inde inæqualibus intervallis fert alios cauliculos in apice habentes flores cæruleos, ut in leucoiis parvos, à quibus deflorescentibus, succedunt siliquæ parvæ, tenues, oblongæ, in acutum desinentes, quæ habent minuta semina rotunda, gustui accerrima, ad rutæ odorem inclinantia. Folia hæc planta habet pauca, longa, & lata, utrinque foliolis oblongis, ordinatis, quinis, senecionis, aut cinerariæ modo crenatis, crassis, pinguibus, & succosis, crucæ colore, & quandoque rubescentibus. Tota hæc planta valdè acris est, & ad erucæ odorem aliquatenus inclinare videtur. Similis nobis visa est erucæ marinæ Myconi, sed tamen ea non est, quoniam habet folia majora, & nihil in gustu amaritudinis præbet, sed solùm acrimoniam, quæ non rutæ esse videtur, sed sinapi, & cùm cætera notæ à Sinapi silvestri non abhorreant, Sinapi marinum esse idcircò credidimus. Neque Chebule etiam Serapionis esse poterit, cùm non habeat saporem salsum similem nitro, qualem saporem Chakilen habere, ex Abice Serapio expressit. Calida hæc planta, et sicca tertii ordinis ex valida acrimonia meritò esse videtur, omniumque maximè semina, quæ ob id erunt efficacissima, trita ex vino epota ad movendam urinam, quò nimirum crassos humores incidant, extenuant. Audio etiam dari aquam stillatitiam ex tota planta prolectam ad movendam urinam, darique etiam ad flatulentos dolores, quamcunque corporis partem diu vexantes. Nonnulli folia, & germina, in acetariis edunt, atque etiam decocta ad frigidum stomachum roborandum.*

SINA-

SINAPI MARINVM ÆGYPTIVM.



De Convolvulo Aegyptio.

Vix cultior in Aegypto hortus est, cui non ornamentum commodet Alexandrinis tapetiis conspectius, elegans hæc planta, quam amœna potissimùm specie ducti Om el hessen, matrem pulchram Arabes nominant, Helxines sive convolvulorum ordini, à Prospero Alpino rectiùs adscripta, quamvis rudiusculè expressa. Fruticat à radice lignosa, longa, fibrataque, cortice pallido, nodulis innumeris scabro, quorum opera facili reptatu, adminicula omnia transcendens, quocunque trahes retrahesque sequetur. A caudice virgulæ exeunt numerosæ, & lentæ, sive umbraculum mediteris, hortensemque scenam, sive conchyliatis omnibus & belluatis venustiora parietum peripetasmata cogites, prompto flexu ductoris arbitrium admissuræ. Folia longulè productis petiolis insistentia, lætoque virore grata, septenis laciniis profundè discriminantur, quarum inferiores additamenta quoque sua nactæ sunt. Sed præcipuum plantæ ornamentum flos est, quem fœcundo partu non semel quotannis producit. Is vulgatis convolvulis amplior, simplici folio è calyce propellitur. Collectus primùm contractusque, donec resupinis oris, si non suavem naribus halitum, saltem amœnam oculis cærulamque purpuram largiter explicet, radiato foliorum emblemate conspicuus. Sinum obscurior inumbrat color, in quo brevis exsurgens columella, lepidum caput innumeris staminulis & appendicibus onerat. Flos discussis umbris à sole expergefactus sese dilatat: eodem in meridie inclementiùs radiante, collectis oris connivet: abeuntem ad Hesperios solem, biulcis denuò labellis blandè salutat, reliquo deinde noctis nemini copiam sui facturus. Tandem emerito flore capsulæ sese proferunt, lini capitula æmulantes, in quibus terna vel quaterna semina, orobi magnitudinem haud superantia, fusca, leviterque lanuginosa reconduntur.

CONVOLVVLVS ÆGYPTIVS.



De Maro Ægyptio.

NOn omittenda hîc usu multiplici nobilis planta, quam inter exotica Lib. 2. Cap. 30. Mari Aegyptii nomine sequẽtibus describit P. Alpinus. *Nascitur in Aegypti locis siccis & squalidis juxta ædificiorum rudera planta quadam odorata, quæ caulem unum ab radice promit cubitalem, & ampliorem etiam, geniculatum colore albicantem, ex geniculis utrinque folio longo, crasso, hormino Sylvestri, & magnitudine, & figurâ proximo, inodoro, ac ferè insipidi saporis siccantis cum quadam levi adstrictione, & lanugine alba, adeò ut ex singulis geniculis duo folia cernantur, æquè ex opposito posita: & hoc observatur in parte inferiori ipsius caulis, in parte verò superiori scilicet, à medio caulis supra utrinque ex geniculis exeunt unà cum foliis ramuli graciles, breves, quadrati, qui utrinque in geniculis ferunt flores albos, Sclareæ seu herbæ Sancti Ioannis floribus quam simillimos, qui unà cum suis foliolis gravem odorem, prævalidum, respirant, non tamen ingratum: quibus succedunt in suis parvis thecis oblongis semina parva, rotunda, brassicæ seminibus similia, acutum odorem respirantia. Cauliculorum omnium cimæ cum foliis, floribus, et cauliculis sunt admodum odoratæ. In umbra siccatæ servantur ad usum vestium. Illis enim insertæ ipsas tuentur à teredinibus atque odorem gratum inducunt. Siccati verò si cauliculi validum odorem in suaviorem mutant. Vnde flores, & semina calefacientis sunt facultatis, digerentis, & resolventis, usumque folia, sed præcipuè cimarum ad dolores frigidos, & flatulentos ex vino decocta, atque dolenti parti apposita, mirificum præstant; Item foliorum succus ex aceto & melle ad panas ex facie delendas præstat.*

MARVM ÆGYPTIVM.



Ad finem Cap. 43.

Hic explicit Prosperi Alpini de Plantis Aegyptiis labor, quarum selectiores, & quas Europæis minùs obvias existimabat, huc præcipuè reduxit. Paucæ sanè videbuntur, & quarum pars magna translatis seminibus in nobilioribus Italiæ hortis hospitata fuit. Imò paucas esse fateor, si veniant in comparationem earum, quas oculis usurpare non licuit, quum praxeos Medicæ curis impliciti, neuter nostrum serio studio huic rei vacare potuerit. Denique paucas esse necessum est, quas ut iam ante scripsi, paucis in locis, & plerumque velut in transitu vix constantibus oculis peregrinantes notamus. Quò laudabilius eorum institutum est, qui digna curiosis ingeniis libertate securi, minima omnia maximaque determinatis locis observando, rem herbariam utilissimis accessionibus auxerunt. Fecit hoc in Baldo suo, Apolline hospite digno Helicone, vir integerrimus Ioannes Pona: fecit idem in Veneto littore Antonius Donatus, optimus & humanissimus Pharmacopæus; quorum uterque editis iam scriptis immortale decus, gratâ posteritatis memoriâ consecutus est. Sed è communibus plantis, quas in Aegypto nasci Prosper Alpinus scripsit, & illæ sunt, quas è Byzantio huc transferunt Proreges, Turcarumque proceres: suntque Narcissi & Hyacinthorum elegantiores aliquot species: quibus tamen in Aegyptio solo propagatis hoc accidit, quod Theophrastus dudum prodidit, ut odoris si quam habent suavitatem sensim exuant. Aer enim, inquit, ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος, caliginosus & roscidus existit. Imò tantâ primùm aquarum ubertate, & calore deinde intensiore, languida hæc corpora vehementiùs resolvuntur. His accenseas Amberboi Turcicum, decoram ex Iaceorum ordine plantam, quæ aculeatis foliis incana spinoso capiti florem intexit, cyanoidem quidem, sed amplitudine speciosiorem, cærulo purpuraque mixtis imbutum, quem turbinatis capitis involucris ornamenti gratiâ subnectunt, aliasque huius generis.

Post

Post *Smilacem Asperam*.

ASperæ Smilacis genera duo iam dudum rerum botanicarum studiosissimi viri descripserunt; quorum unum minùs spinosum, brevioribus foliis ex atrore quodam virescentibus præditum, quæ vel nullis, vel rarissimis saltem aculeis obsita sunt. Flosculi sex veluti radiis stellati, carneo rubori albedinem suam miscent; è quibus umbonis instar prominulus fructus, ætate iam maturus, dilapsis foliis, rubedinem suam nigredine permutat. Huic similis illa, quam in Zacyntho repertam Prosper Alpinus expressit. Discrimen tamen in eo est, quod circa petioli accessum, folia sinu destituta, nec in acumen altero extremorum producta sint, nec capreolos proxima quæque implicantes ex alarum angulis proferat; quamvis radices ob natalis soli mollitiem Hispanis omnibus cùm magnitudine tum virium præstantia non inferiores. Sed alteram illam asperiorem Smilacem, cujus subjectam hîc effigiem vides, sæpiùs mihi suppeditavit Nicolaus Contarenus, ille hoc seculo nobilissimus

Floræ sacerdos, candidatus herbarum,
Quascunque Phoebus spectat, aut alit tellus
Non nostra tantùm, sed remota, sed cuncta,
Quam Pontus ambit, aut Olympus involuit.

ut verè cum doctissimo Poetarum scribam. Hanc Smilacem nō caule tantùm, sed foliorum etiam oris extensoque per medium eminentiore nervo aculeatā cernis. Viticulæ ex alarum sinu plures proreptant, flores candidi racematim penduli, odore suaves: fructus item ætate provectâ rutilus, exiguis uvis Labruscæ æmulus conspicitur. Cæterùm, ut Prosper Alpinus seriò contendit, hanc ex Zacyntho Smilacem esse veram Hispanorum Salsam parillam, tam formâ radicum, quàm viribus adductus; ita inter hanc, & Indicam sive Peruanam, tum facultatum vigore, tum externæ figuræ lineamentis discrimen aliquod intervenire, curiosis rerum naturæ viris cognitum est. Vidi Lugduni Batavorum, sub Clarissimo Everhardo Vorstio, præceptore meo Indicæ Salsæ parillæ plantam natā, ab utraq; asperâ Smilace, foliorum brevitate, densitate, sinu, coloris obscuritate, spinarum absentiâ, non parum discrepantem. Notavit radicum quoque diversitatem doctissimus Lobelius, qui ab uno radicis trunco amplo, strumoso, sine geniculorum deinceps interventu, crebra illa valdèque prolixa radicis lora, cortice pulla, rugisque striata deducit. Talis perhibetur quæ ex Honduras provincia advehitur, natalis soli ingenio, Europæis Smilacibus, in profliganda Veneris lue superior.

SMI-

SMILAX ASPERA.



Concluſio.

HAec habui, mi Lector, quæ de Plantis Aegyptiis, amicorum hortatu, Proſperi Alpini libro ſubtexenda videbantur. Rudia illa dixeris, & ſoloci (ut Symmachus loquitur) filo elaborata. Fateor ſanè talia eſſe: & dudum in his ſtudiorum primitiis cenſorium illud ſupercilium ferendum conſtitui. Quanquam ſi induſtriæ meæ inchoamenta quædam tibi primitùs exhibeo, nil eſt, cur exercitati roboris ἀποτελέσματα flagites. Næ tu quoque fruſtra es, ſi à ſcaturiente commodùm fonticulo flumen exigis, ſub gelidis brumæ pruinis roſarum purpuram, ſub novella pampinorum umbra, muſtulenti autumni delicias quæris. Igitur æquum te mihi dabis, ſi quà vel calamus titubavit, vel officium memoria non fecit. Noſti quàm facile ſit, languentibus per occupationes oculis connivere. Denique, ut ex his quæ dedimus colliges,

----- *non omnis fert omnia tellus.*

INDEX.

Rerum memorabilium.

A

Abdelaui. 47.
Ab el mosch. 65.
Abrus mira conversio. 25.
Absus. 36.
Acacia. 6.
Acaciæ succus optimè præparatus. 7.
Achaovan abiat. 30.
inodora. 16.
Actuarius. 4.
Adamas insignis in Mahometi sepulchro. 18.
Aegypti fertilitas. 1.11.31.
Aer roscidus. 77.
cultura. 3.
hodierna facies. 2.14.
Aegyptus arborum ferax. 3.
Aegyptii catarrhi experres. 12.
Aegypt. Hydrocele familiaris. 47.
Aethiopia veterum India. 13.
Agiahalid hodiè non exstat. 14.
Prosp. Alpini institutum. 2.
P. Alpinus asseritur. 9.17.27.78.
explicatur. 47.
emendatur. 10.23.
excusatur. 77.
laudatur. 10.25.38.56.
locupletatur. 32 42.52.69.78.
Ambetboi Turcicum. 77.
Amomum Plinii. 56.
Animaduersio in stirpium figuras. 14.15.16.52.73.
Anthalium. 47.
Apollonii hallucinatio. 19.
Arabum indoles. 18.
victus. 19.
Arabes Aegypti incolæ. 69.
Arabes hydrocelen per lini u-stionem tollunt. 48.
Athenęus. 6.37.
Autoris excusatio. 79.
Observatio. 9.12.14.15.17.19.23.24.25.26.27.37.44.47.52.56 61.78.
Animadversio. 27.28.
Conjectura. 49.
Inventio. 48.
Sententia. 23.

B

Bahobab. 22.
idem cum Abacco. 16.
Baldus mons. 77.
Balnea Aegyptiorum. 16.
Balsamū Arabię est peculiare 17.
Balsami liquor. 17.
mangonium. 18.
vires. 20.
Bammia. 30.
edulis. ib.
Batechæ el maoui liquor ventriculo & jecori adversus. 47.
Casp. Bauhinus. 69.
Bèid el Ssar. 28.
Honorius Bellus. 23.27.
Bisciolæ error detegitur. 17.
Bon. 21.
ejus temperamentum, vires, ac usus. 22.
decoctum. 16.
nucleus saccharo obductus. 22.
Botanici recentiores notati. 31.
veteres excusantur. 42.
Brassica Spinosa Aegyptia edulis. 76.
Brevitas operis excusatur. 77.
Buncho Avicennæ; 20.
Byssus duplex. 19.

a olim

olim auro par. 16.
Xylina subtilissima. 19.

C

Cadaverum conditura apud Aegyptios. 20.
Calamus. 63.
Calculi vesicæ mirãda curatio. 5
Caleb. 21.
in Syria foliis angustiorib⁹ 16.
Cammaronus. 34.
Camerarius. 27.
Capitis ornatus apud Turcas. 77.
Capitis affectibus remedium. 32.
Caput roborans. 65.
Casia. 4.
Casia fistulæ. 4.
Casiæ fistulæ crepitantes. 16.
deciduæ usui ineptæ. 5.
ligantur. 5.
Casiæ pretium. 5.
flores conditi. 5.
Corruptæ noxa. 5.
Catarrhi medium. 12.
Cassab el darrir. 63.
Ceronia Theophrasti. 4.
Chatè. 47.
P. Alpini. 48.
Carolus Clusius laudatus. 9.23.
Coccymelea Theophrasti. 9.
Colici doloris præsidium. 59.
Colocasia. 37.
Colocasia Aegyptia florens 38.
Connarum Athenæi sitne Nabcà? 9.
Nicolai Cõtareni encomium. 31 54.56.69 78.
Hortus elegans. 48.
Convolvulus Aegyptius. 73.
Septifolius. 5.
Corchorum Plinii. 31.
Cor confortans. 65.
Corippus. 20.
Cucumis Aegypt. reticulatus 48.
Culcas. 37.
Ari species. 16.40.
Venerem excitat. 40
Cyperus. 46.
ejus diversitas. 47.
Cyperus rotundior Antidotis receptus. 47.
Cyperi minoris radices edules. 47.

D

Datura. 56.
Datura Contarena. 16.
Dachel. 11.
Dactylus. 11
Democriti peregrinatio. 2.
Democritus tangitur. 6.
Dioscorides explicatus. 12.
probatus. 10 37 44 47.56.
Anton. Donatus, Botanicus. 72.

E

El hanne. 16.
El Mataaria hortus. 10.
Aequi Arabes. 18.
Equites Arabum. 19.
Eresius exponitur. 3.9.
laudatur. 25.
Error quorundam. 13.

F

Fatima filia Mahometi. 18.
Felfel tavil. 34.

G

Galenus. 18.
Garzias. 15.
Gossipium. 23.
Græci Aegyptiis Romani. 34.
Gramen stellatum Aegyptiũ. 52.
Vesicæ calculũ non frangit. 52.
Grossulariæ succus. 5.

H

Hab el mosch. 65.
Hab el Salim. 47.
Hæmorrhagiæ remedium. 59.

Heliodorus. 3.42.
Herbarum copia in Aegypto. 31.
Herniæ aquosæ causa. 47.
Remedium. 47.
Herodotus. 20.
Hippomanes Crateuæ. 56.
Homerus. 34.
explicatur. 1.
Horatius. 56.
Hyoscyamus albus Aegyptius. 59.

I

Iecoris abscessui remedium. 20.
Fer. Imperatus. 34.
Iosephi puteus. 3.

K

Karob. 5.6.
Kernab. 5.
Κεράτια veterum. 5.

L

Laab. 25.
Lablab. 24.
Libri sacri Medinæ. 18.
Linum Indis arboreum. 49.
Linnii sententia de Bysso. 19.
Matth. Lobelius. 78.
Loti Aegyptii flos coronis insertus 42.
Lucretius. 69.
Luffa Arabum. 48.
Lupinus Aegyptius silvestris. 69.
Lycium. 15.

M

Mahometi monumentum. 18.
Malinathalla 47.
Marum Aegyptium. 75.
Matthioli lapsus. 10.
Mauza. 26.
Melochia. 31.
Memphis arx. 3.
Aquæductus. 23.
Meningum doloris auxilium. 59.
Methel nux. 56.
Morphæa Aegyptiis frequens. 49.
Mosch Arabum. 65.
Moschi succedaneum. 65.
Myrobalanus Chebulus. 62.
apud Arabes in usu 16.
eius locus natalis. 16.
Myrobalani arborib distincti. 16.
foliis a Persico diffident 16.
caput & ventriculum roborant. 16.

N

Nabca spinosa, & non spinosa. 9.
Nabcæ poma in Febribus putridis. 9.
Nejem el Salib. 52.
Nepenthes. 2.
Nicander. 12.
Cosmus de Nigris laudatus. 7.40
Nufar a Nymphæa nostrate diversa. 42.

O

Om el heffen. 73.
Operis occasio, & forma. 79.
Opobalsamum vulnera simplicia glutinat. 20.
Origanum Creticum. 32.

P

Palmæ. 3.
Palma. 11.
Palmæ cerebrum. 12.
ejus usus. 16.
Panarum faciei remedium. 75.
Papaver. 5.
Papyrus. 46.
ejus usus. 16.
Pausanias defenditur. 17.
laudatur. 19.
Pediculorum remedium. 16.
Philostrati lapsus. 19.
Pleuritidis remedium. 59.
Plin. laudatus. 19.23.32.37.44.49
explicatur. 10.
emendatur. 11.

no-

notatur. 47.
Io. Pona. 69.77.
Proclus. 3.
Proverbium in amaritudinē. 31.
Prun us Aegyptia Plinii. 9.
Pulmonis ulcera sanans. 20.
Pyramides Aegyptię majores. 59.
Pythagoræ peregrinatio. 2.

R

Rauvolfus. 15.
Renum abscessui auxilium. 20.
Rob. 5.
Rossetum aliis Heraclea 52.69.

S

Sacerdotū Aegyptiorū vestes. 23
Salsa parilla Lugduni nata. 78
Sambac. 24.
Sarbet quid. 42.
ejus compositio. 42.
condimentum. 65.
Sarbet Nufar. 42.
Scorsonera Orientalis. 54.
Alexipharmaca. 16.
Sebesten. 12.
Sempervivum aquaticum. 44.
Seneca. 19 25.
Serif Princeps trucidatus. 19.
Sesamum. 36.
Sinapi antiquis Aegyptiis inter Numina habitum 71.
Sinapi marinum Aegyptium. 71.
Smilax aspera. 78.
minus spinosa. 16.
Smilax Zacynthi cum Sarsaparilla Hispanorum eadem. 78.
ab Indica differt. 16.
Sofera. 27.
non semper ἀνάῤῥοπος. 26.
Solanum in Aegypto quadruplex 56.
Stramonium. 56.
Stratiotes. 44.
vulneraria. 16.
Sycomori. 3.
Sycomorus. 10.

T

C. Tacitus explicatur. 17.18.
Tamarindus. 13.
Tamariscus luis venereæ remedium. 13.
Tatura. 56.
Theophrastus emendatur. 17.
excusatur. 24.
exponitur. 4.12.38.
laudatur. 23.24.32.44.47.49. 56.
ad Tineas vestium. 75.

V

Vanitatis typus. 30.
Variolarum remedium. 21.
Velum in sepulcro Mahometi. 18.
Lues venerea Aegyptiis mitior. 13.
ejus remedium. 13.15.79.
Veneni alexipharmacum. 32.
Ventriculum roborans. 32.65.
Veronensis agri Cyperus. 47.
Viperæ Arabibus sacræ. 17.
Virgilius. 27.28.
Vitiligo Aegypto familiaris. 49.
ejus remedium. 49.
Vngues mulierum in Aegypto picti. 16.
Everhardus Vorstius. 78.

X

XabraRhasis. 34.

Z

Zatar hendi. 31.
Zeid taib. 36.

D

DE